D. Thoma Ittigio
De Synodi Carentonensis

BR
60
.I77
1705

LIBRARY OF THE THEOLOGICAL SEMINARY

PRINCETON, N. J.

BR 60 .I77 1705
Ittig, Thomas, 1643-1710,
Synodi Carentonensis a
reformatis in Gallia

mai 88.

Th. Ittig.

De Synodi Carentonensis 1631 erga Lutheranos indulgentia.
Lips. 1705.

3169. **Synodes protestants.** Sectio IV historiæ synodorum nationalium, à Reformatis in Gallia habitarum, exactis synodicis et aliis script. in epitomen redacta, observation. nonnullis theolog. theoreticis pariter ac practicis illustr. à D. Thoma Ittigio. Lipsiæ, 1705, pet. in-4, v. m. 5 fr.

De synodo Parisiensi. 1559. — De synodo Pictaviensi. 1560. — De synodo Aurelianensi. 1562. — De synodo Lugdunensi. 1563. — Bel exemplaire.

13a
690

DE

SYNODI CARENTONENSIS

à Reformatis in Gallia Ecclesiis

A. 1631. celebratæ

indulgentia erga Lutheranos,

Circa permissam S. Cœnæ inter Reformatos participandæ, conjugiorum cum Reformatis contrahendorum, & infantum ex baptismate apud Reformatos suscipiendorum libertatem,

DISSERTATIO THEOLOGICO-HISTORICA

Autore

D. THOMA ITTIGIO.

Accedunt

Ejusdem quatuor Programmata festalia publico nomine conscripta.

Lipsiæ, apud heredes JOH. GROSSII, 1705.

1906. 22 II. 10
21

Lectori Benevolo

D. THOMAS ITTIGIUS

S. P. D.

Nter hodiernos unionis bene & male Reformatorum amasios nomen suum profitetur Johannes Braunius Theologiæ D. eiusdemqve & Hebrææ linguæ in Gröningensi Academia Professor, qui in dedicatione sui in epistolam ad Hebræos commentarii mense Martio præsentis anni scripta pacem hanc ecclesiasticam nostris tandem temporibus inter Protestantes conciliatum iri hariolatur, magnamque rei tam diu desideratæ spem ex Saxonia affulgere sibi persuadet, cum per totam Saxoniam Sapientiores primique ecclesiarum Antistites magnam Reformatis humanitatem demonstrent, idque maxime factum sit a Celsissimo Electore glorioſæ memoriæ, qui ante non multos annos aliquot centena ex magni Cocceji operibus

coëmi juſſit exempla, ut quælibet eccleſia ſuum haberet, quæ bona nova ab ipſis fratribus Lutheranis ſe audiviſſe refert. Verum valde vereor, ne fratres illi, quos vocat, Lutherani falſa ipſi narraverint. Sane in mea Diœceſi, quæ ſatis ampla eſt, nullam novi eccleſiam, quæ exemplar aliquod operum Cocceji habeat. Librum Concordiæ cum articulis viſitatoriis Reformatorum doctrinæ oppoſitis, item B. Dn. D. Carpzovii iſagogen in libros noſtrarum eccleſiarum ſymbolicos & alios hujusmodi libros per Celſisſimorum Electorum reſcripta commendatos ſcio, quorum lectio Paſtoribus majori uſui eſſe poteſt, quam Operum Cocceji, qui inter ipſos Reformatos male audit, ideoque a Spanhemio cum Origene confertur, qui nimio allegoriarum ſtudio a vero Scripturæ ſenſu frequenter aberravit, φαντάσματα ſua pro divinis myſteriis venditavit, πυρίας δόξας affectavit, ſcriptisque ſuis magnas in eccleſia turbas excitavit. Quæ autem Saxonicorum Theologorum de Coccejo ſit ſententia, oſtendit ſolennis B. Dn. D. Alberti inauguralis diſputatio, quæ inſcribitur: *διπλῆν κάππα, quod eſt Carteſianiſmus & Coccejaniſmus Belgio hodie moleſti Nobisque ſuſpecti.* Ponamus autem ex liberalitate Celſiſſimi alicujus Principis ſingulas eccleſias Saxonicas exemplar operum Cocceji poſſidere, non magis hoc ad unionem religionis Reformatæ cum Lutherana faciet, quam ſi forte Lutheri ſcripta, vel alicujus Lutherani Theologi

gi Opera inventario Reformatæ alicujus ecclesiæ addantur. Non enim tam facile diversæ religiones combinari, quam libri diversarum religionum in uno repositorio conjungi, vel etiam in unum volumen compingi possunt. Ego unionem ecclesiæ Lutheranæ cum Reformata optandam potius quam sperandam arbitror, imo talem, qualem Braunius expetit, ne optandam quidem, cum discors ejusmodi concordia Deum, qui palearum & tritici syncretismum odit, graviter offensura esset, & præsentissimum Lutheranis periculum allatura. Quomodo enim Lutherani ex Braunii consilio cum Reformatis contra Papistas arma tuto conjungere valeant, quamdiu Reformati in pluribus fidei articulis cum Pontificiis contra Lutheranos conspirant? Annon metuendum erit Lutheranis, si communicatam carni Christi divinam Majestatem contra Pontificios tueri velint, ne Reformati, etsi fratres Lutheranorum videri velint, relictis tamen suis fratribus arma cum Pontificiis conjuncturi sint? annon metuendum erit Lutheranis, inprimis si Jansseniani in exercitu Pontificio agmen ducunt, quod Reformati fraternitatis Lutheranis oblatæ immemores plenis turmis ad Jansenianorum castra abituri sint, & tela contra Lutheranos versuri? Nam quæ nonnulli ex Reformatis de universali Dei gratia & Christi merito se profiteri videri volunt, ludificationes sunt, ut novissime, ne

noſtratium judicia nunc repetam, Johannes Clericus Bibliothec. Choiſ. Tom. V. p. 419. ſeq. obſervat, ubi Holzfuſii tractatum de prædeſtinatione, electione & reprobatione hominum recenſet, ac inter alia notat, tales Univerſaliſttas, qualis eſt Holzfuſius, a Supralapſariis & Sublapſariis re ipſa nihil differre, & Holzfuſium, dum Synodum Dordracenam gratiæ univerſali non adverſari obtendit, non modo Arminianis, ſed ipſis etiam Reformatis in Belgio & Helvetia ludibrium debere. Similes luſus in aliis fidei articulis a Reformatis fieri, ſi opus foret, haud difficulter demonſtrari poſſet. Cæterum Braunius, etſi iteratis vicibus Lutheranos fratrum nomine dignetur, ſatis tamen incivilis eſt ea, qua utitur, fraternæ benevolentiæ captatio, dum Lutheranos, qui ignes cineri doloſo ſuppoſitos metuunt, ideoque ſpecioſo pacis nomine ſe falli non patiuntur, fratribus ignorantiæ & rixarum annumerat, quaſi Calvinianam fraternitatem pro Cainiana habituri non eſſent, niſi in ſummâ ſacrarum rerum ignorantia verſarentur & contentionis ſtudio abriperentur, qua in ſententia Vir doctiſſimus non minus fallitur, quam cum momenta controverſiarum inter Lutheranos & Calvinianos agitari ſolitarum nullius ponderis eſſe judicat. Sed nænias illas jam ipſi relinquamus, eumque oleum & operam perdere, ſeu teſtas, ut Lutheri ſimili utamur, conſue-

re

re ſinamus. Eventus enim duobus proxime elapſis ſeculis abunde docuit, quam irriti fuerint ſuſcepti in hoc negotio omnium labores, qui lucem cum tenebris miſcere voluerunt. Ideo paſcha unionis, niſi in azymis ſinceritatis & veritatis celebretur, minime celebrandum ducimus, & probamus verba Melanchthonis in epiſtola ad Ægidium Cæſareum Concionatorem: *ſi noſtri cum Zvvinglianis conjungerentur, maxima confuſio dogmatum & religionis videtur ſecutura.* Fuerunt autem inter eos, qui uniendis Proteſtantium eccleſiis operam dederunt etiam Patres Conſcripti Synodi Carentonenſis A. C. 1631. congregatæ, cujus acta ex Gallicis MSCtis una cum aliis nationalibus Reformatorum in Gallia Synodis Johannes Quick in Anglicum ſermonem vertit & Londini A. C. 1692. edidit. Permiſſum enim fuit ab hac Synodo Lutheranis cum Reformatis ſacra cœna frui, conjugia cum Reformatis contrahere, & infantes Reformatorum ad baptiſmum offerre. Quam unionem non ultro Lutheranis oblatam, ſed a Lutheranis quæſitam & expetitam aſſerit Dn. Strimeſius in ſcripto his nundinis edito, cui titulus: Chriſtliche Erwegung der Hiſtoria der erſten religions motuum zwiſchen denen Evangeliſchen Lutheriſchen und Reformirten an ſtatt einer Duplic wider eine allerunterthänigſte Addreſſe. Scribit enim p. 256. die Reformirten haben ſich darumb nicht be-

bemühet/ ſondern die Lutheriſchen Kauffleute zu Lion haben es bey ihnen geſuchet. Sed ex Dallæo aliisque Scriptoribus elucescit, quod unus tantum Mercator Lutheranus unionem hanc quæſiverit, & hac occaſione cæteris quoq; Lutheranis iſta libertas a Synodo Carentonenſi ultro oblata fuerit. Quam indulgentiam Anonymus quidam Oratorii Presbyter, qui ante biennium Pariſiis Ludovici Thomaſſini tractatui de edictis ſupplementum addidit, & ſimul hiſtoriam edicti Nannetenſis a Dn. Benoiſt Alenſonenſi quondam in Gallia nunc Delfenſi in Belgio Miniſtro, ut ex Parrhaſianis ſuſpicatur, elucubratam refutavit, p. 84. hujus ſupplementi eo nomine miratur, quod Reformati in articulo 10. Auguſt. Confeſſionis ob negatam realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in cœna damnati fuerint. Conjicit autem ibidem & iterum p. 528. Reformatos ideo Lutheranis tantum indulſiſſe, ut gratiæ Guſtavi Adolphi Regis Sveciæ Lutherani, cujus in Germania victorias cognoverant, ſe inſinuarent. Cui ſuſpicioni ex eo aliqua probabilitatis ſpecies accedit, quod tunc ipſe Galliæ Rex Regi Sveciæ confœderatus eſſet. Quid autem de ipſa Carentonenſis hujus decreti ſententia judicari debeat, brevi hac diſſertatione diſcuſſum ibimus. Faxit Deus, ut omnia ad Nominis ſui gloriam promovendam & amplificandam vergant!

Summa-

SUMMARIUM

Dissertationis de Synodi Carentonensis A. 1631. indulgentia erga Lutheranos.

I. II. *Vicus Carentonius ejusque memorabilia.* III. IV. V. *Acta præcipua Synodi Carentonensis A. 1623. habitæ.* VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. *Acta Synodi Carentonensis A. 1644. & 1645. congregatæ præcipua.* XIV. *Acta quædam Synodi Carentonensis A. 1631. celebratæ.* XV. *Decretum hujus Synodi in gratiam Lutheranorum editum.* XVI. *Decretum hoc a Syncretistis & Irenicis laudatum.* XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. *Sinistra & acerba Pontificiorum contra Reformatos de hoc decreto judicia.* XXII. *Etiam Reformatis quibusdam hoc decretum displicuit.* XXIII. *Lutheranorum de hoc decreto judicia.* XXIV. *Occasio hujus Decreti recensetur.* XXV. *Fundamentum quo indulgentia Synodi Carentonensis erga Lutheranos nititur.* XXVI. *Fundamentum hujus indulgentiæ alterum.* XXVII. *Primum caput indulgentiæ erga Lutheranos, quo illis sacra communio cum Reformatis permittitur.* XXVIII. XXIX. *Num apud Reformatos integrum eucharistiæ sacramentum administretur?* XXX. XXXI. XXXII. *Num Lutheranus salva conscientia apud Reformatos communicare possit?* XXXIII. *Num saltem in necessitatis casu hoc liceat?* XXXIV. *quales Lutherani a Carentonensi Synodo ad communionem invitentur?* XXXV. *Refutatur opinio Maresii statuentis, mutuam Lutheranorum apud Reformatos, & Reformatorum apud Lutheranos communionem affinitatem habere cum literis veterum encyclicis.* XXXVI. *Sub quibus cautelis Reformati suæ communionis hominibus permittant apud Lutheranos communicare?* XXXVII. *Reformati a Lutheranis ad cœ-*

nam non admittendi. XXXVIII. *Nisi simplices & dociles.* XXXIX. *Responsio ad exempla Petri Martyris, Johannis a Lasco & Zachariæ Ursini, qui apud Lutheranos communicarunt.* XL. XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV. *Respondetur Dallæo decretum Carentonense de Lutheranorum communione apud Reformatos approbanti.* XLVI. *Nostrates & in his uterque Calixtus talem communionem improbant.* XLVII. *Alterum caput indulgentiæ Carentonensis erga Lutheranos, quod consistit in permissione conjugii cum Reformatis. Aliorum Reformatorum sententia circa conjugia cum heterodoxis.* XLVIII. *Nimia Synodi Carentonensis facilitas.* XLIX. L. *Cur conjugia cum heterodoxis non probari debeant?* LI. *Ecclesiæ Essendinaensis hac de re constitutio.* LII. *Patrum & Conciliorum de hujusmodi conjugiis sententia. Quodnam concilium sit Urbanense?* LIII. *Martyr & Zanchius conjugia cum infidelibus & hæreticis dissolvenda esse perperam opinantur.* LIV. *Zepperi & Bezæ sententia recensetur.* LV. *Tertium caput indulgentiæ Carentonensis erga Lutheranos circa officium Patrinorum, cum iniqua conditione conjunctum.* LVI. *Alii Reformati Lutheranos ab hoc officio excludunt.* LVII. *Cur Synodus Carentonensis Lutheranos ad hoc officium admiserit?* LVIII. *An Lutheranus apud Reformatos hoc officio fungi possit?* LIX. LX. LXI. *An Reformatus a Lutherano Ministro ad hoc officium admitti possit?* LXII. *Quid in variis Agendis ecclesiasticis ea de re ordinetur?* LXIII. *Num absolute omnes Reformati ab hoc officio arcendi?* LXIV. *Quid faciendum Ministro Lutherano, si Magistratus ad officium Patrini Reformatum aliquem admitti jubeat?* LXV. *Canon Melodunensis.*

LXVI. *Conclusio.*

I. Charen-

I.

Arenton Galliæ vicus eſt ad fluvium Matronam lapideo ponte ibi ſtratum ſitus, & duabus iisque minoris ſpatii leucis a Lutetia Pariſiorum diſtans, qui etiam Carenton, Carentona, Carentonum & Carentonium, nec non ad Differentiam aliorum in Gallia locorum eodem nomine gaudentium Carentonium ad Matronam, item Carenton ad Lutetiam appellari, nonnunquam etiam Suburbanum Pariſienſe cognominari ſolet. Sunt quoque qui locum hunc Pontis Charentonii nomine venire tradunt. Verum certa tantum huius vici triplicem jurisdictionem agnoſcentis portio Pontis Carentonii nomine deſignatur, quemadmodum & alia eiusdem portio Carenton S. Mauricii dicitur. Cœterum vicum hunc Baudrandus in Lexico ſuo Geographico T. I. p. 261. burgum Galliæ cultisſimum appellat. Eundem ab amplitudine commendat, muriſque clauſum & annexis pagis ſtipatum tradit Morerius in grandi Dictionario T. II. p. 120.

II. Inter ea, quæ locum hunc celebriorem reddiderunt, fuit templum Henrici IV. permiſſu à Reformatis extructum, in quo aliquot hominum millia, imprimis ex Lutetia pedibus, equis, naviculis, aliisque vehiculorum generibus illuc ſe conferentium ad audiendas ſacras conciones, & cultum ſuum publice exercendum confluere ſolebant, donec viginti abhinc annis & hoc & reliqua Reformatorum in Galliis templa vel deſtruerentur, vel ad alios uſus converterentur. Quemadmodum enim echo Carentonenſis, quæ olim ſonum emiſſum tredecies in agro Pariſienſi reddere ſolebat, referente Zeillero Itiner. Gall. p. 204. per novum Monaſterium Carmeliticum obſtructa

nunc semel tantum resonat: ita Clerus Gallicanus non prius acquievit, quam Reformatorum conciones cantiones & preces publicæ in universa Gallia penitus cessarent, contra vero ob excitatas persecutionum tragœdias oppressorum planctus & querimoniæ vel millies resonarent.

III. Hoffmannus memorabilibus Carentonis & illud annumerat, quod superiore, quo Lexicum suum universale scripsit, seculo Synodus ibi habita fuerit, Tom. I. p. 725. Verum non unam tantum sed plures superiore seculo Synodos à Reformatis Galliæ ecclesiis ibi celebratas fuisse constat, quarum præcipuas easque omnes nationales paucis referemus. Ac primo quidem loco occurrit Synodus Nationalis A. C. 1623. à Reformatis Galliæ ecclesiis Carentone habita, qua Remonstrantes nonnunquam gloriari solent, cum Decretis Synodi Dordracenæ haud magnopere favisse videatur. Sane Arnoldus Pœlenburgius in Dissertatione Epistolica p. 48. asserit, Synodum hanc Carentonensem in suo Canonum, quod tunc edebat, exemplari legi non voluisse, sed omisisse & antiquasse illos Dordraceni concilii Canones, quibus Arminianorum sententia damnatur. Addit Pœlenburgius, quod Synodus illa Carentonensis aboleverit insuper formulam juramenti Alezianam, qua quisque, ut ipsa Autoris verba repetamus, *diris imprecationibus execrationibusque caput suum devovere tenebatur, si non ad extremum vitæ spiritum in illa canonum* (Dordracenorum) *fide persisteret.* Præivit Pœlenburgio Stephanus Curcellæus in præfatione apologetica, quam Davidis Blondelli Anacrisi de Johanna Papissa præmisit b. 4. ubi Synodum hanc Carentonensem de Dordracena non adeo magnifice sensisse iisdem argumentis probat. *Primo enim*, ait, *abrogavit decretum de jurando in ejus verba, quod Deputati ad Synodum Alezianam ausu privato cuderant, nulla à Synodis provincialibus, quæ ipsos miserant, accepta id faciendi potestate. Deinde cum Synodi Dordracenæ judicium curaret recudi, solos canones affirmativos pro suis amplexa est, negativos autem non agnovit, quod nesciret, (ut audivi referentes qui inter-*

interfuerunt) *an sententia Remonstrantium in illis rejecta fideliter expressa esset, nec ne.* Respondet tamen Samuel Maresius, qui istam Curcellæi præfationem non minus quam prædictam Blondelli anacrisin ex instituto refutavit, juramentum in Dordracenos canones, quod in Synodo Aleziana decretum fuerat, à Carentonensi non fuisse ideo improbatum, quod de canonibus Dordracenis tenuiter sentiret, sed ne canones illi potiori loco haberi viderentur quam ipsa confessio publica, cujus subscriptio tantum exigi solebat. Quod autem Synodus Carentonensis affirmativos tantum non item negativos Dordraceni concilii canones approbaverit, purum putum mendacium esse regerit; & quamvis Curcellæus à Viris fide dignis ipsique Synodo olim præsentibus se ista audivisse dicat, Maresius tamen excipit Curcellæum jam pridem male audire cœpisse. Omnino autem non affirmativos tantum sed negativos quoque Canones Dordracenis fere per omnia conformes à Carentonensi Synodo editos fuisse, ex Quickii Synodico eluceſcit. Interim quantum ad juramentum in canones Dordracenos attinet, videtur Synodus Carentonensis non tam sponte, quam ne Regis offensam incurreret, in illud consentire noluisse. Cum enim Deputati ex Synodo ad Regem missi fuissent, ut pro permissione Synodi gratias agerent, inter alia ipsis indicatum fuit, juramentum in Dordracenam fidem à Reformatis non ita pridem decretum Regi displicere, cum doctrina ista nova videatur, cui protectionem suam polliceri nolit, & quamvis Deputati exciperent, nihil in Concilio Dordraceno sancitum fuisse à Reformatis, quod publicæ ipsorum confessioni conforme non esset, responsum tamen tulere, Regem quidem se ipsorum doctrinæ immiscere, aut judicium de ea ferre nolle, non tamen intelligere, cur aliquis in alterius fidem jurare debeat, & non potius cuilibet libertas credendi quæ velit relinquatur, ut refertur in historia edicti Nannetensis Tom. II. p. 422.

IV. Miratur Anonymus huius historiæ autor, unde tantus Aulæ favor erga Arminianos originem duxerit? Non alia

autem ex causa à Rege concessam doctrinæ Arminianæ libertatem suspicatur, quam ut Reformatis in Gallia occasio schismatis suppeditaretur, quale in unitis Belgii provinciis ex eadem doctrina excitatum fuerat. Subjicit & aliam rationem, nempe quod Arminiani doctrinam suam gravi censura notatam animadvertentes quovis modo Supremis Magistratibus se insinuare, & eorum protectionem ambire annisi fuerint, & imprimis Daniel Tilenus in publico quodam scripto adversus Milleterium edito magnam Dordraceno Concilio invidiam conflaverit, dum asseruit, clandestinum Dordraceni concilii propositum fuisse commune aliquod fœdus adversus ecclesiam Romanam pangere, ideoque Galliæ Regem recte fecisse, quod Ministros regno suo subjectos illuc ire non permiserit, quasi ob absentiam ministrorum Franciæ magnum hoc arcanum optatos successus obtinere non potuerit. Etsi vero Synodus hæc Carentonensis Regi se obsecuturam simulans juramentum in fidem Dordracenam expresse non exegerit, attamen, ut in laudata edicti Namnetensis historia refertur, in Alesianæ Synodi, quæ Dordracenos Canones adoptaverat, doctrinam jurari voluit, & articulos illius doctrinæ præcipuos typis imprimi curavit, voluntati Regis satisfieri rata, si in juramenti formula invidiosa Dordraceni concilii mentio omitteretur. Ita autem se habet juramentum in synodo hac Carentonensi subscriptum : *Nos Pastores & Seniores ecclesiarum in Gallia Reformatarum in Synodo Nationali Carentoni ad S. Mauricium juxta Lutetiam mense Septembri 1623. cum omni sinceritate declaramus, nos agnoscere articulos supra scriptos fundatos in DEI verbo, & conformes fidei prædictarum ecclesiarum Reformatarum huius regni, à quibus coram Deo protestamur nos nunquam recessuros, in quorum fidem nos hanc manuum nostrarum subscriptionem apposuimus, Carentoni d. 30. Sept. 1623.* videatur Rivetus Tom. III. p. 723.

V. Durante adhuc Synodo Rex Commissario suo, qui erat Augustus Galand per literas mandavit, ut tria puncta Synodo proponeret, quorum primum erat, quod Rex permissurus

non

non esset amplius Primerosio & Cameroni, nt vel Ministerium vel Professionem Theologicam in regno suo exercerent. Cum vero synodus pro utroque & simul pro Petro Molinæo, cui reditus in Franciam interdictus erat, supplicaret, severitas Regis eo usque temperata fuit, ut tribus istis viris ea conditione in regno suo commorari permitteret, si in præsenti nullam functionem exercerent, sed futuri temporis eventum expectarent. Cœtera huius Synodi acta brevitatis studio prætermittimus.

VI. Alia Synodus Nationalis Reformatarum Galliæ ecclesiarum Carentone mense Decembri 1644. inchoata & Mense Januario sequentis anni 1645. continuata fuit. Ejus acta Gallice descripsit David Blondellus in tractatu qui inscribitur: *Actes authentiques des Eglises Reformeés de France, Germanie, grande Bretaigne, Pologne, Hongrie, Pais Bas, &c. touchant la paix & charite fraternelle, que tous les serviteurs de Dieu doivent sainctement entretenir avec les Protestans, qui ont quelque diversité, soit d' expression, soit de methode, soit mesmé de sentiment; rassembleés en un pour la consolation & confirmation des ames pieuses, & pour l' instruction de la posterité*, qui Blondelli tractatus Amstelodami 1655. impressus est. Verum cum acta ista authentica à Blondello jam sene scripta, vel potius ob cæcitatem, qua proximis ante mortem annis laboravit, dictata inspicere nobis non licuerit, ex aliis scriptoribns præcipua Synodi illius acta recensebimus.

VII. Inter causas in hac Synodo actas fuit controversia de gratia universali, quam Moses Amyraldus Salmurienses Academiæ Professor & ecclesiæ Pastor, ac nonnulli alii Reformati in Gallia tum fovebant. Tractatum fuerat jam A. C. 1637. de hoc negotio in Synodo Nationali Alensonensi. Tunc enim Moses ille Amyraldus & Paulus Testardus ecclesiæ Blesensis Pastor & vehemens, ut a Maresio in Disput. de duabus arboribus Hedenis th. 30. nominatur, universalismi propugnator ultra quatuor vel quinque dies continuos coram Synodo sententiam suam propugnare, cæterosque, ad opinionem suam

pertrahere, anniſi ſunt. Synodus autem ſeptem Deputatos nominavit, qui illorum hypotheſes examinarent, & de mediis turbas ab eccleſiis Gallicanis amoliendi diſpicerent. Tandem concluſum fuit, ut illi Theologi neque ab officio removerentur, ne rigor iſte ſchismatis periculum poſt ſe traheret, neque in ſtatione ſua manentes macula aliqua aut graviori cenſura notarentur, quæ facile in Academiæ detrimentum cedere potuiſſet. Contenta ergo fuit Synodus illos gratiæ univerſalis hypotheticæ aſſertores admonere, ut phraſibus in Reformata eccleſia conſuetis, vel terminis ad terminos Synodi Dordracenæ proxime accedentibus uterentur, contra vero locutionibus cum ſcandalo conjunctis abſtinerent, & decreta ſua conditionalia abolerent, ceu refert L' Anglæus Paſtor eccleſiæ Rotomagenſis, qui inter ſeptem illos Deputatos Præſidis officium gesſit, in epiſtola, quam ſcripſit ad Andream Rivetum d. 5. Jul. 1637. Cum qua epiſtola conferri poterunt quæ ex actis Alenſonenſis Synodi excerpta extant in appendice Synopſeos Doctrinæ de natura & gratia Andreæ Riveti p. 249. & ſeq. ubi Amyraldi & Teſtardi declarationes & Synodi monita ſpecialius enumerantur. Huius igitur Alenſonenſis Synodi exemplo etiam Carentonenſis ſeptimo vel octavo anno poſt Alenſonenſem habita Hypotheticos mitius tractavit.

VIII. Etſi vero Carentonenſis hæc Synodus perinde ac Alenſonenſis Cameronismi ſectatoribus graviorem aliquam notam inurere verita fuerit, nequaquam tamen illorum hypotheſes approbavit, ſed tantum toleravit, & ita quidem ut interim eas ſibi diſplicere non obſcure ſignificaverit. Vnde Mareſius in prolegomenis ad epicriſin ſuam p. 73. de illis hypotheticæ Babelis Architectis ſcribit, quod ipſorum hypotheſes tecto latere ægre ſe judicio ſurripuerint, & cum illis ita actum fuerit, ut non quidem abſolute condemnarentur, nec cum Remonſtratismo crucifigerentur, attamen propter affinitatem ſub patibulo cum laqueo circa fauces collocarentur. Etſi hæc Mareſii rhetoricatio nimia videatur, & Hypotheticorum ſententia multo

lenius

lenius, quam Mareſius velit, tractata in illis Synodis fuerit. Tanto autem facilius Hypotheticorum ſententia in utraque illa Synodo tolerata fuit, quod illi talem univerſalem gratiam fingerent, quæ cum decretis Synodi Dordracenæ conciliari poſſet, ut Micrælius in heterodoxia Calviniana Diſp I. theſ. 47. recte obſervavit. Vt autem eo magis hæc controverſia ſopiretur non ſolum Alenſonenſis Synodus prohibuit movere queſtiones curioſas & uti expreſſionibus ſequiori interpretationi obnoxiis, ſed etiam Carentonenſis interdixit ſub pœna depoſitionis omnibus Paſtoribus & Profeſſoribus ſuis ſcribere, concionari, aut diſputare contra ſe invicem ſuper materiis declaratis & explicatis in Synodo Alenſonenſi, ullosque libros ſuper illis publicare, ut ex Blondelli actis authenticis refert Marelius in prolegomenis paulo ante allegatis. Idem p. 65. ſcribit, quod integræ Synodi provinciales in Gallia ſenſerint, ſilentium Hypotheticis per duas illas Synodos Nationales impoſitum fuiſſe, eosque vel ad ordinariam traditivam revocatos, vel ſaltem obligatos, ut ſuas opiniones ſibi haberent, nec illas ſcripto aut viva voce propugnarent. Vbi tamen ſimul animadvertimus, quod etiam alteri parti à Synodis illis interdictum videatur, Hypotheticorum ſententiam in publicis concionibus, diſputationibus ſcriptisque odioſe oppugnare, novisque turbis & contentionibus occaſionem ſubminiſtrare. Addit Mareſius quod Amyraldus a Synodo Carentonenſi facultatem ſaltem contra exteros ſe defendendi petierit, ea vero Synodo provinciali Andegavenſi rem commiſerit, ſperans ſi Mareſii conjecturæ credimus, quod illa ordinis publici tenacior omnem impoſterum ſcriptionem polemicam ſuorum Profeſſorum ſufflaminatura eſſet, quæ ſpes Carentonenſem Synodum fefellit, cum Amyraldus ſub cenſura Synodi provincialis Andegavenſis ſpecimen ſuum contra Spanhemium ediderit, quod nonnulli inter Pictos, Santones & Aquitanos pro contemtu Synodi nationalis interpretati ſunt, ideoque de ſtudioſis ſuis non amplius Salmurium mittendis decreta promulgarunt, etſi revera Amyraldus editione

one huius ſpeciminis contra decretum Synodi Carentonenſis non peccaverit, ſed tantum contra ſpem Synodi Carentonenſis ab Andegavenſi Synodo edendi illius ſcripti licentiam impetraverit. Cœterum Amyraldus etiam poſtea A. C. 1649. ſe exacte decretis Synodorum Nationalium obtemperaturum neque vel viva voce vel ſcripto de controverſis materiis diſputaturum eſſe promiſit, cum inter ipſum ab una, & Gulielmum Rivetum ac Philippum Vincentium ab altra parte mediante Principe Tarentino concordia reſarciretur, qua pace quinque ſcripta eriſtica in Vincentium aliosque ſtatim alias edenda ſufflaminata ſunt, ut ex Blondelli ad Mareſium epiſtola apparet.

IX. Non poſſumus hoc loco ſilentio præterire Johannis Dallæi, qui Alenſonenſi Synodo interfuit, & à Carentonenſi non longius abfuit, quam Lutetia a Carentone diſtat, apologiam pro Synodo Alenſonenſi & Carentonenſi, in qua (ſic enim tituli verba ſe habent) gratia DEI univerſalis, quam Fridericus Spanhemius ſuis exercitationibus oppugnavit, Theologorum veterum 120. & recentiorum 63. autoritate defenditur. Hic Dallæi tractatus Amſtelodami 1655. editus & Davidis Blondelli præfatione commendatus, apologia pro Synodo Alenſonenſi & Carentonenſi inſcribitur, non quod doctrina Dallæi aliorumque Hypotheticorum, quæ in hac apologia contra Spanhemianas exercitationes propugnatur, in duabus illis Synodis approbata & definita, ſed quod in utraque Synodo tolerata nec condemnata, nec hæreſeos crimine infamata fuerit. Nam in Alenſonenſi Synodo Paulus Teſtardus Bleſenſis eccleſiæ Paſtor, & Moſes Amyraldus, poſtquam cauſa ipſorum cognita & diſcuſſa fuit, accepta a conventus Præſide concordi dextra cum honore ad functiones ſuas obeundas dimiſſi ſunt, & in Carentonenſi Synodo Amyraldus iterum auditus, iterumque ut antea cum honore ad muneris ſui exercitium dimiſſus eſt, hortante Synodo, ut in eo cum gaudio & alacritate pergeret, uti Blondellus utriusque Synodi Actuarius, & ex eo Dallæus in Vindiciis p. 9. refert, qui etiam in apologia ſua p. 3. Johanni Cameroni

roni non incelebri Hypotheticorum anteſignano neque in Synodo Aleſiana 1620, nec in Carentonenſi 1623. nec a Carentonenſi 1626. ullam hæreſeos dicam ſcriptam fuiſſe memorat.

X. Priorem huius apologiæ Dallæanæ partem tribus exercitationibus academicis ſuccesſive impugnavit Mareſius, quæ exercitationes poſtea in unum faſciculum collectæ prodierunt hoc titulo: *Samuelis Mareſii ἐπίκρισις Theologica & amica ad quæſtiones de gratia & redemptione univerſali. Pars prior oppoſita primæ parti apologiæ nuper in Belgio editæ adverſus eccleſiarum Belgicæ fœderatæ conſtantem ſententiam.* Accesſit ſive ipſius Mareſii ſive alterius præfatio ſcripta Groningæ d. 6. Mart. 1656. Atque hinc Dallæo occaſio nata edendi *vindicias apologiæ pro duabus eccleſiarum in Gallia Proteſtantium Synodis Nationalibus altera Alenſonenſi 1637. altera vero Carentonenſi 1645. adverſus Epicritam gratiam Dei univerſalem oppugnantem*, quæ vindiciæ Amſtelodami 1657. prodierunt. In priori præfationis parte præfationem illam confutat, quæ tribus Mareſii exercitationibus præmiſſa fuerat, in poſteriori ſe contra Ludovicum Molinæum Petri F. tuetur, qui in præfatione ad tractatum ſuum de presbyterii eccleſiaſtici poteſtate Dallæi apologiam pro utraque Synodo hoſtiliter aggreſſus fuerat. In ipſis vero vindiciis, quæ tripartitæ ſunt, Dallæus apologiam ſuam adverſus tres Mareſii exercitationes prolixe vindicat. At nec Mareſius quievit. Edidit enim Groningæ 1658. epicriſin ſuam theologicam ad quæſtiones de gratia & redemptione univerſali non tribus tantum, ut antea, ſed decem exercitationibus conſtantem, quarum ſeptem poſteriores ſecundam apologiæ Dallæanæ partem impugnant. Subjecit his exercitationibus breves ſtricturas Dallæi vindiciis oppoſitas, totique huic opuſculo prolixa prolegomena præmiſit, in quibus & de Dallæi apologia & de ejusdem vindiciis copioſe differit. Accesſit poſtea eodem Mareſio autore A. C. 1661. epicriſeos Theologicæ ad quæſtiones de gratia & prædeſtinatione univerſali pars κατασκευαστική, qua proponuntur & vindicantur argumenta pro reſtrictione gratiæ ſalutis & redemtionis

in Christo ad solos electos. Vbi in procœmio inter alia refert, quod Dallæus in Synodo nationali Juliodunensi A. C. 1659. præteritorum amnestiam, gratiam & abolitionem consecutus fuerit, partim protestando apologiam suam se invito & reclamante editam, partim vindicias apologiæ suæ dissimulando, partim procurando suppressionem literarum, quæ a Maresio aliisque ex Belgio ad hanc Synodum scriptæ fuerant. Qua de re plura in actis Synodi Juliodunensis videri poterunt, quorum exemplar MSCtum haud ita pridem ad nos pervenit.

XI. Sed jam alia quædam gesta Carentonensis huius Synodi percurramus, quæ ut Amyraldum cum honore dimisit: ita Codurcum ab officio suo removit. Philippus hic Codurcus Pastor & Professor Nemausensis, cuius in Jobum & epistolam ad Hebræos commentaria extant, offerebat Synodo dissertationem, in qua ecclesiam pontificiam cum reformata in articulo de justificatione conciliare satagebat. Verum quia Synodus eum in pluribus doctrinæ capitibus titubantem deprehendebat, & secretam inclinationem ad Papistarum religionem in eo sentiebat, non aliud pro oblata dissertatione præmium Codurcus referebat, quam ut a statione muneris sui ecclesiastici & academici dimoveretur. Nec benignus cum Theophilo Bracheto Milleterio actum est, quem Grotius epistol. 108. magnum quondam Rupellanæ partis antistitem appellat. Is propter varias, quas in ecclesia Gallicana moverat turbas jam per plures annos a sacra communione abstentus fuerat: obtinuit tamen Regis autoritate licentiam Synodo huic se præsentandi. Accesit igitur ecclesiarum ministros in hac Synodo congregatos seque ad collationem cum illis aliquam, & ab initio quidem contentiosam, postea vero instructivam obtulit, promittens Synodi decisioni se submissurum. Cum vero Amyraldus per biduum cum ipso contulisset, tantum abfuit, ut Synodo se submitteret, ut potius æquivocatione usus promissionem suam non de submissione doctrinæ, sed tantum de submissione personæ suæ interpretatus fuerit. Synodus autem publice declaravit, quod im-

poste-

posterum pro membro ecclesiæ Reformatæ agnosci non deberet, solennem excommunicationem additura, nisi edicto regio prohibitum fuisset, in eos, qui ad Romanam ecclesiam deficiebant, fulmen hoc vibrare. Videatur de utroque Romanæ ecclesiæ amasio Codurco nempe & Milleterio historia edicti Nannetensis Tom. 3. part. I. p. 33. & 34. ubi etiam refertur, quod Synodus hæc illos gravi censura notaverit, qui obviam facti processioni Sacramenti in Romana ecclesia usitatæ nudato capite illi occurrere, quam vel per fugam se retrahere, vel tecto capite periculo se exponere malebant, obtendentes, se reverentiam illam non hostiæ sed vel Sacerdoti vel comitatui exhibere, quam idololatriæ participationem Synodus minime ferendum existimavit.

XII. Gravi præterea censura notati sunt in hac Synodo, qui tum in Gallia primum peccatum posteris imputatum negabant. Decrevit enim Synodus a muneribus suis removendos Pastores & Professores, qui in controversiam traherent peccati Adamitici imputationem neminemque deinceps ad sacrum ministerium admittendum, qui erroris illius foret particeps, ut refert Curcellæus in tractat. de jure Dei in creaturas c. 11. p. 769. Ipsum a Synodi decretum ita se habet: *cum relatum fuisset de scriptis quibusdam impressis & manu exaratis, per quæ natura peccati originalis constituebatur in sola corruptione hæreditaria in omnibus hominibus originaliter residente, negabatur autem imputatio primi peccati Adami, Synodus prædictam doctrinam damnans, quatenus naturam peccati originalis restringit ad solam corruptionem hæreditariam posteritatis Adami, exclusa imputatione primi peccati per quod lapsus est, prohibet sub pœna omnium censurarum omnibus Pastoribus, Professoribus, & aliis hanc quæstionem tractaturis, ne a sententia communi omnium Protestantium ecclesiarum recedant, quæ præter corruptionem, semper prædictam imputationem toti posteritati Adami factam agnoverunt ac omnibus Synodis & Classibus mandat, ad receptionem Studiosorum ad sacrum ministerium processuris, ut ab iis exigant huius statuti sub-*

scriptionem. Seorsim hoc decretum Carentonense edidit & consensu ecclesiarum Reformatarum ex publicis confessionibus Doctorum Helveticorum, Gallorum & Genevensium, Anglorum, Belgarum, Germanorum tam Helveticæ quam Augustanæ confessioni addictorum, Patrum, Scholasticorum, aliorumque Pontificiorum confirmavit Andreas Rivetus in tractatu, qui inscribitur, *Decretum Synodi Nationalis Carentoni ad Matronam a 26. Decembr. 1644. usque ad finem Januarii 1645. habitæ, de imputatione primi peccati omnibus Adami posteris*, quod Riveti scriptum secunda vice Genevæ 1647. prodiit, & inter opera Riveti conjunctim edita reperitur Tom. 3. p. 798. Sensit se quoque hoc decreto peti Josua Placæus Salmuriensis Theologus, ideoque 1655. Salmuri suis sumtibus excudi curavit tractatum de imputatione primi peccati Adami, in quo videri vult, se cum illo Carentonensi decreto per omnia consentire, & suam de peccato originis sententiam a Synodo Carentonensi nequaquam damnari potuisse, cuius rei demonstrandæ gratia evincere conatur, quod Carentonensis Synodus tantum mediatam & consequentem Adamitici peccati imputationem agnoverit. Imprimis autem contra Garisolium disputat Pastorem & Professorem Montalbanensem, quem Carentonensis huius Synodi Præsidem fuisse constat, & ex parte contra Carolum Daubuz Neracensis ecclesiæ Pastorem, cuius epistola & carmen propempticum ad Garisolium simul cum Gariffolii tractatu de imputatione peccati prodierat. Interim Placæus non dissimulat, decretum hoc Catentonense sibi ad palatum non fuisse. Postquam enim verba decreti ex latina Gariffolii versione allegaverat, statim subjicit, hoc decretum a Synodis Provincialibus varie acceptum fuisse, cum quibusdam visum fuerit, illud statim executioni mandari, aliis vero placuerit executionem usque ad aliam Synodum Nationalem suspendi, privata quoque Pastorum aliorumque judicia non uniusmodi fuisse, cum nonnulli hoc decretum ut æquissimum ac verissimum exosculati fuerint, contra non defuerint, qui illud ut novum & nimis

festi-

festinanter ac haud satis pensitatum & Synodis Provincialibus inconsultis factum, imo ut verbo Dei minus consentaneum rejicere non dubitarunt.

XIII. Hornius in historia ecclesiastica p. 502. mentionem hujus Synodi faciens cæteris ejus actis omissis contentus est Synodi hujus decretum contra Independentes recensere; circa quod decretum quid Leydeckerus in notis ad historiam illam ecclesiasticam monuerit p. 502. videri poterit. Qualia regii Commissarii postulata & gravamina in hac Synodo fuerint, & quid ipsi à Præside Synodi responsum fuerit, refertur in historia edicti Nannetensis Tom. III. part. I. part. I. p. 26. & seq. Quid autem epistolæ suæ, quam ad hanc Synodum scripsit Andreas Rivetus, contigerit, refert ipse in alia epistola, quam præfixit posthumis Spanhemii vindiciis pro exercitationibus de gratia universali. Nimirum lecta quidem est in Synodo illa Riveti epistola, sed sine responso dimissa sub prætextu, quod ex regionibus exteris fuisset allata. Miratur ergo Rivetus, quod extraneus factus fratribus suis, & peregrinus filiis matris suæ, cum in Gallia natus & educatus, perque 25. annos in Gallia Pastor fuerit, donec permittentibus Gallorum Synodis inter regni Francici fœderatos Theologiæ Professor fieret. Neque tamen solius Riveti epistola sine responso dimissa est, sed idem etiam epistolis Consistorii Genevensis & Diodati contigit, prohibente Delegato Regio, ne ad literas e regionibus exteris allatas à Synodo responderetur.

XIV. Duabus his nationalibus Synodis Carentonensibus, quarum una A. C. 1623. altera A. C. 1644. & 1645. congregata fuit, tertiam nunc addimus medio inter utramque tempore nempe A. C. 1631. habitam. Et hæc ipsa est, cujus singularem indulgentiam erga Lutheranos discutiendam suscepimus. Regius in hac Synodo Commissarius idem erat, qui in prima nationali Carentonensi Synodo 1623. fuerat, Galandus. Is varia Regis nomine à Synodo postulabat, scilicet, ne amplius prote-

ſtationes fierent contra Commiſſarios, quos Rex Synodis intereſſe vellet, ne exteri ſeu in illis locis nati, quæ Regis dominio non ſubeſſent, ad miniſterium vocarentur, ne qui ſemel miniſterium ſacrum ſuſcepiſſent, ſine Regis permiſſu regno exirent, ne Salbertus miniſter Rupellanus ad functiones ſuas admitteretur, ſed in loco qui Regi placuiſſet exularet, ut Beraudus, Miniſter & Profeſſor Montalbanenſis, qui de jure pro libertate arma capiendi ſcripſerat, & ipſis quoque eccleſiæ Miniſtris jus arma portandi & ſanguinem fundendi vindicare auſus fuerat, & Bouteroveus Miniſter Gratianopolitanus itidem juſtitiæ armorum pro libertate captorum ſtrenuus defenſor, cujus librum Parlamentum Delphinatus flammis dignum cenſuerat, & Baſnagius Rupellanæ congregationis particeps, qui nimium zeli in Synodis habere videbatur, Synodo excluderentur, item ut nonnulla in diſciplina & praxi eccleſiaſtica circa publicam eorum, qui religionem mutabant, proclamationem, circa examen & cenſuras librorum, circa preces publicas, circa Conſiſtoria & alios quosdam articulos reformarentur. Et Synodus quidem in plerisque ſe ſubmittebat, obtinebat tamen ut preces pro ſalute Dominorum, in quorum ditione templa ſita erant, publicas fieri, & in Conſiſtoriis, ubi opus foret, tres Miniſtros totidemque e vicina Seniores advocari permitteretur. Dum hæc in Synodo agerentur, Synodus duos Deputatos Amyraldum & Villarſium ad Regem mittebat, ſuaque deſideria quindecim articulis proponebat, inter quos etiam interceſſio pro Beraudi, Baſnagii & Bouterovei admiſſione ad Synodum continebatur, quæ effectu ſuo non caruit, ſiquidem primum Beraudus & paulo poſt Baſnagius & tandem etiam Bouteroveus ſuum in Synodo locum occuparunt. Præterea promiſſum fuit Deputatis, quod Rex ad ipſorum puncta gratioſe reſponſurus eſſet, non ante tamen, quam Synodus ſeparata eſſet. Quæ omnia in hiſtoria edicti Nannetenſis fuſius recenſentur Tom. 2. p. 517. & ſeq. ubi etiam refertur, quod hæc Sy-

Synodus ad exemplum Synodi Montis Peſſulani 1598. habitæ ſtatutum de unione cum Romana eccleſia, cujus pruritus nonnullos tenuit, non ineunda ediderit, item quod ſolenne per univerſas in Gallia Reformatas eccleſias jejunium indixerit. Quomodo eadem Synodus Andegavenſis provinciæ fratres laudaverit, quod ad nutum Synodi Caſtrenſis ſcripta Johannis Cameronis conquiri & typis edi curaverit, Dallæus memorat in apologia pro Synodis Aleaſ. & Carent. p. 3. Sed his omnibus jam miſſis decretum illud videamus, quod hæc Synodus in Lutheranorum gratiam edidit.

XV. Gallice hoc decretum exhibet ex Blondelli actis authenticis Timannus Geſſelius in hiſtoria ſua ſacra & eccleſiaſtica Tom. 2. in addend. p. 785. & 786. Latine producit illud decretum Heideggerus in Diſſertatione poſteriori de concordia Proteſtantium eccleſiaſtica Tom. 3. Diſſ. ſelect. p. 477. ubi verba decreti ita ſeſe habent: *Quando Auguſtanæ Confeſſionis eccleſiæ cum cæteris Reformatis in omnibus veræ religionis principiis & articulis fundamentalibus conveniunt, cultumque exercent purum ab omni idololatriæ & ſuperſtitionis labe, ſi qui ſint iſtius profeſſionis homines, qui cum caritatis & lenitatis ſpiritu ſacros eccleſiarum noſtrarum cœtus frequentent, earumque communionem expetant, iis ſine omni abjuratione prævia liberum eſto ad ſanctam Chriſti menſam nobiscum accedere, matrimonia cum noſtræ confeſſionis fœminis contrahere, & infantes baptiſmo tingendos de more offerre & ſuſcipere, dum noſtris eccleſiis in hoc ultimo caſu ſancte ſpondeant, ſe infantes, quos de ſacro lavacro ſuſceperint, neque directe unquam neque indirecte adverſus eam, quam noſtræ eccleſiæ credunt ac profitentur doctrinam ſolicitaturos, ſed ea duntaxat fidei capita edocturos, de quibus inter noſtras ipſorumque eccleſias convenit.*

XVI. Non dubitat Heideggerus, poſtquam hoc decretum Carentonenſe adduxit, quin Spiritu S. ducantur Reformati, qui tanto pacis ſtudio & ipſi flagrant, & alios inflammare ſatagunt, additque nulla re Spiritum Dei magis quam condemnationibus mutuis, & amaro zelo & ſermone illo σαπρῷ, quo eriſtica ſcripta compleri ſolent, exacerbari poſſe. Johannes vero Dallæus in ſua apo-

lo-

logia pro ecclesiis Reformatis c. 7. p. 34. cum hoc Carentonense decretum retulisset, velut admirabundus exclamat: *O lenitatem vere Christianam! dignam profecto, quam & omnes, qui hodie vivunt, pii sedulo imitentur, & qui olim vivent posteri cum laude perpetuo celebrent!* Nec alii hujus decreti commendatores desunt. Imprimis vero, ad hoc decretum provocare solent, qui pacem Lutheranos inter & Reformatos conciliare satagũt, ut Hoornbeckius de consociatione Evangelicorum p. 733. Amyraldus in tractatu de secessione ab ecclesia Romana, deque ratione pacis inter evangelicos in religionis negotio constituendæ p. 3. Hottingerus in meletematibus irenicis p. 174. Maresius de Syncretismo p. 556. Diestius de lite & pace religiosa evangelicorum Disp. 2. thes. 20. p. 176. Johannes Wirzius, Theologiæ in schola Tigurina Professor, in Disp. de communione Sanctorum p. 342. Pictetus de consensu & dissensu inter Reformat. & August. Conf. fratr. c. 6. Pastores quidam in Gallia apud Gesselium Hist. Eccl. tom. 2. p. 654. 655. Cregutus in consilio irenico apud Mellet. in Syndrom. p. 289. Autor der Abhandlung etlicher Fragen von der Möglichkeit/Nothwendigkeit und Nutzen der Vereinigung/ qui tractatus ante biennium prodiit, p. 115. & seq. Verum quid Lutheranis doctrinæ veræ sincere addictis, & de dulci illa Carentonensis Synodi fistula & de suavibus, quæ Syncretistæ inde capiunt somniis sentiendum videatur paulo post indicabimus. Nunc prius videamus quantam Reformatis invidiam Synodus Carentonensis apud Pontificios decreto suo conciliaverit.

XVII. Agebatur tum temporis in Gallia de unione religionis Pontificios inter & Reformatos tentanda, & hoc negotium ipse Cardinalis Richelius promovebat, qui hac in re Capucini cujusdam nomine Josephi opera utebatur. Nec deerant inter Reformatos, quibus vel privati, quod inde sperabant, lucri & commodi causa, vel ob alias rationes illa Cardinalis consilia placebant, quos inter & Milleterius supra a nobis memoratus, cujus pro hac unione labores varia scripta ab ipso edita testantur, in quorum numero occurrit epistola de universi orbis Christiani

pace

pace & concordia per Cardinalem Richelium inſtituenda, ut plures alias ejus lucubrationes ad hoc negotium ſpectantes taceamus. Quomodo autem Milleterius Reformatos cum Pontificiis unire cupiens utrinque vapulaverit, tandemque ad incitas redactus Romanæ eccleſiæ acceſſerit, Claudius Sarravius Senator Pariſienſis in pluribus epiſtolis memoravit. Conferantur Epiſt. 13. 81. 83. 85. 110. 114. 118. & 170. Illo ipſo vero tempore, cum varia conſilia de unione Pontificiorum & Reformatorum agitarentur, Synodus hæc nationalis Carentonenſis adeo alienam ſe ab hac unione præbuit, ut ſtudium bonæ & quæ Deo grata eſſet pacis præ ſe ferens atque præfata molitiones illas repudiaverit, & evangelii Miniſtris, qui iis vel palam vel clanculum faverent exauctorationem ſeveriſſime interminata fuerit, ut Amyraldus in tractatu de pace in negotio religionis inter evangelicos conſtituenda, quem Johannes Mellet Syndromo ſuo irenico inſeruit, teſtatur p. 128. Id vero Pontificii tanto ægrius tulerunt, quod eadem Synodus Carentonenſis Lutheranis communionem cœnæ in ſuis eccleſiis indulſerit, iisdemque conjugium cum Reformatis & libertatem infantes Reformatorum e baptiſmo ſuſcipiendi permiſerit. Atque hinc de illo Synodi Carentonenſis decreto ſiniſtra admodum judicia Pontificii tulerunt.

XVIII. Nonnulli enim odioſe clamitarunt Lutheranos per hanc Synodum contra leges publicas in Galliam revocatos, ut notat Leydeckerus in not. ad Horni hiſtor. eccleſ. p. 358. Fecit id inter alios Nicolaus Denets Epiſcopus Aurelianenſis. Is enim A. C. 1636. d. 17. Februarii in oratione Cleri Gallicani nomine apud Regem habita eccleſias Reformatas in Gallia trium capitalium criminum reas fecit, quorum primum fuit, quod leges publicas effreni licentia violare & meditato ſcelere Edicti regii majeſtatem infringere auſi fuerint. Id vero hac ratione probavit, quod Synodus Carentonenſis decreverit, ut Lutherani ad cœnæ communionem apud Reformatos admitte-

rentur. Quam graviſſimam accuſationem ut a Reformatis repelleret Johannes Dallæus, apologiæ ſuæ pro eccleſia Reformata inter alias appendices addidit reſponſionem apologeticam orationi illi Epiſcopi Aurelianenſis oppoſitam, in qua monet, quod nullo Regis edicto prohibitum fuerit Lutheranos ad communionem a Reformatis admitti, neque ullum notorium crimen & flagitium in iſto Carentonenſi decreto vel a Regio Commiſſario, qui Synodo interfuit, vel a Regio Conſiſtorio, cui acta Synodi communicata ſunt, deprehenſum fuerit.

XIX. Alius Pontificius nomine Adamus tria imprimis huic decreto Carentonenſis Synodi objecit. Nempe Synodum hoc decreto Regis Sueciæ Guſtavi magnos tum in Germania victoriarum progreſſus facientis gratiam aucupari voluiſſe, deinde Synodum dogma transſubſtantiationis toleraſſe, denique Synodum Reformatis permiſiſſe, ut cum Lutheranis realem corporis & ſanguinis Chriſti in pane & vino præſentiam crederent. Quæ omnia falſa eſſe probat idem Dallæus in tractatu Gallico, qui inſcribitur, *replique de Jean Daille aux deux livres que Meſſieurs Adam & Cottiby ont publiez contre luy.* Conferatur tractatus hujus pars 2. & quidem caput 9. p. 63. & ſeq. ubi contra iſta ἐγκλήματα Synodi Carentonenſis Decretum prolixe vindicat.

XX. Anonymus quidam A. C. 1683. Pariſiis Gallico idiomate edidit conſiderationes unionis, quam Calviniſtæ cum Lutheranis inierunt in Synodo Carentonenſi. In quo tractatu gravem Reformatis dicam ſcribit, quod in Lutheranis dogma conſubſtantiationis ferant, eoque non obſtante Lutheranis communionem ſuam in Synodo Carentonenſi obtulerint, etſi ipſo Calvino atteſtante ex hac conſubſtantiationis doctrina ſacramenti adoratio ſequatur, & tamen ſub prætextu idololatriæ evitandæ a Pontificiorum communione abhorreant, neque transſubſtantiationis dogma tolerare velint. Quin & uni-

universus Clerus Gallicanus A. 1682. Parisiis congregatus inter varias methodos Reformatos ad ecclesiam Romanam reducendi hanc primo loco ponit, quod Reformati in Synodo Carentonensi Lutheranos realem corporis Christi in eucharistia præsentiam, ex qua Calvinus adorationem sacramenti necessario sequi statuit, agnoscentes ad communionem suam receperint, & tamen inter causas, cur à Romana ecclesia secesserint, adorationem sacramenti inter primas & præcipuas referre soleant. Et hac methodo etiam jam pridem Cardinalis Richelius usus fuerat in methodo singulari ad sectarios amice & pacifice sine ulla vi ad ecclesiæ unitatem reducendos, qui Richelii tractatus Parisiis A. C. 1657. prodiit. Burnetus autem in annotationibus suis ad acta Cleri Gallicani p. 66. & seq. miratur, quod Clerus Gallicanus hanc methodum Richelii melioris Politici quam Theologi adoptaverit, & inter alia observat Lutheranos hanc consequentiam adorationis ex reali corporis Christi præsentia, quicquid de ea Calvino visum fuerit, nequaquam agnoscere, neque symbola eucharistica Pontificiorum instar adorare.

XXI. Patet igitur, quantum Synodus Carentonensis sua erga Lutheranos indulgentia Pontificios irritaverit. Unde Amyraldus in tractatu de secessu ab eccles. Rom. p. 6. scribit, decretum Carentonense, quod summa sapientia summaque caritate conditum asserit, prædicatoribus ecclesiæ Romanæ amplam declamitandi occasionem dedisse, dum hanc in Lutheranos facilitatem ita interpretati sunt, quasi argueret in Reformatis animum injusto & pervicaci in Romanam ecclesiam odio inflammatum, ut qui ab ea secessionem fecerint, & in ea pertinaciter perseverent, cum tamen Lutheranorum communionem non detrectent, à quibus secedendi causas non minus justas & idoneas habeant. Ex alio capite in decretum hoc Carentonense invectus est Moguntinus Ecclesiastes Adolphus Godofredus Volusius. Cum enim auroram pa-

cis religioſæ divinæ veritati amicam ederet, Lutheranos quidem ad reconciliationem cum Romano-catholicis invitabat, at unionem cum Reformatis Lutheranæ eccleſiæ maxime diſſuadebat, inter alia ſcribens, quod Hugonotti etſi in conciliabulo Carentonenſi A. C. 1631. declararint, ſe Auguſtanæ confeſſioni addictos ad cœnam ſuam admiſſuros, ſincerum tamen Syncretiſmum cum Lutheranis haud meditentur, ideoque ſuis non indulgeant communionem cum Auguſtanis absque proteſtatione, quod non conſentiant in errores oralis manducationis, omiſſi panifragii &c. pag. 152. Papiſtis vero accenſemus etiam Milleterium, qui jam tum ſeceſſionem ad papatum meditabatur, cum in ſcripto quodam Carentonenſem Synodum pudendi cum Lutheranis Syncretiſmi argueret, adverſus quem David Blondellus epiſtola quadam decretum Carentonenſe vindicavit.

XXII. Nec diſſimulat Amyraldus in loco proxime allegato, fuiſſe inter ipſos Reformatos, qui mirati ſunt, quæ poſſit eſſe ipſorum cum Lutheranis communio, cum Lutherani certa quædam dogmata de præſentia corporis Chriſti in euchariſtiæ ſacramento, de naturarum in Chriſto & idiomatum utriusque naturæ communicatione & aliis quibusdam articulis foveant & tueantur, à quibus Reformati abhorrent, cum ea à veritate ſemota arbitrentur. Etſi vero Amyraldus addat, quod per apologias à viris quibusdam doctiſſimis ſcriptas infirmis è Reformatorum communione hominibus abunde ſatisfactum, omnesque ipſorum animis ſcrupuli exempti fuerint, valde tamen dubitamus, nullos in animis Reformatorum ſcrupulos remanſiſſe. Certe multæ Reformatorum eccleſiæ hoc Synodi Carentonenſis decretum in praxi haud obſervant.

XXIII. Num ergo forte hanc Synodi Carentonenſis declarationem ſaltem Lutherani, in quorum gratiam edita fuit,

fuit, grato animo & ambabus, quod dicitur, manibus amplexi sunt? Neutiquam. Certe Rango in der Historischen Beschreibung der Religions-Mengerey / cum partem aliquam decreti Carentonensis retulisset, subjicit p. 20. Wiewol wir hierbey unerinnert nicht lassen können / daß auch unter diesen Carentonischen Schluß eine Frantzösische List verborgen stecket / indem sie die Lutheraner zu ihrem Abendmahl wohl lassen / dadurch von solchen Lutheranern ihre Lehre für gut erkläret wird: hingegen geben sie gleichwohl nicht zu / daß die ihrigen bey den unserigen zum Abendmahl gehen mögen ohne öffentliche Protestation. Quod judicium repetit Hartmannus in Concil. illustrat. Tom. IV. p. 844. Et Calovius in δοκιμασία Spiritus Syncretistici pag. 122. γνησίως Lutheranos talem communionem qualem Synodus Carentonensis Augustanæ confessioni addictis obtulit, nunquam expetituros affirmare minime dubitavit. Ut autem cuncta clarius pateant, declarationem hanc Carentonensis Synodi paulo penitius introspiciemus.

XXIV. Occasio decretum hoc condendi talis extitit. Versabatur Lugduni in Gallia, ubi multi peregrini tum ob situs opportunitatem, tum ob mercaturæ negotia commorari solent, Germanus quidam Augustanæ confessioni addictus. Is cum civis alicujus Lugdunensis Reformatam religionem amplectentis filiam ambiret, ut ea felicius potiretur, non solum Reformatorum cœtibus frequens aderat, sed etiam profitebatur, se cætera doctrinæ & disciplinæ Reformatorum capita ita probare, ut etiam cum ipsis communicare, & cum quodam è Reformatis affinitate conjungi paratus esset, modo ne quam in Lutherana ecclesia hauserat de Dominica in eucharistiæ sacramento præsentia sententiam mutare cogeretur. Ministri Reformati, qui tum Lugduni erant, neque hominem cum repulsa dimittebant, neque tamen in ejus desideria, cum res illa sine exemplo hactenus fuisset, statim

consentiebant, sed negotium hoc dignum arbitrabantur, quod ad Synodum Nationalem, quam intra tertium vel quartum mensem habendam noverant, referretur. Cum ergo Synodus Nationalis Carentone convenisset, Burgundicarum ecclesiarum, quas inter Lugdunensis etiam censetur, Delegati Synodum consuluerunt, num Germanos & alios Augustanæ Confessionis fideles in ecclesiis Galliæ Reformatis liceat absque prævia abjuratione eorum, in quibus à Reformatis dissentirent ad contrahendum cum Reformatis mulieribus matrimonium & ad offerendos ad sacrum baptismum parvulos admittere? ut refert Dallæus in respons. apol. ad orationem Episcopi Aurel. pag. 93. Hac igitur occasione data placuit Synodo, ut Lutheranis absque abjuratione prævia & ad sacram mensam cum Reformatis accedendi, & matrimonia cum Reformatis contrahendi & parvulos ad baptismum in Reformatorum ecclesiis offerendi libertas concederetur.

XXV. Fundamentum hujus concessionis posuit Synodus in fundamentali utriusque religionis consensu, dicit enim: *Quando Augustanæ confessionis ecclesiæ cum cæteris Reformatis in omnibus veræ religionis principiis articulisque fundamentalibus conveniunt &c.* Verum ista Carentonensis Synodi hypothesis, quam decreto suo fundamenti loco substernit, falsa deprehenditur. Fundamentalem enim esse inter Lutheranos & Calvinianos dissensum demonstrarunt Nicolaus Hunnius in διατρίβῃ Theologica de fundamentali dissensu doctrinæ evangelicæ - Lutheranæ & Calvinianæ seu Reformatæ, Theologi Wittebergenses im Gründlichen Beweiß/daß die Calviniſche Jrrthumb den Grund des Glaubens betreffen/ und der Seligkeit nachtheilig seyn/ Theologi Darmstadienses in der Gründlichen Ausführung/ Hutterus in Calvinista Aulico - Politico altero cap. 2. pag. 178. seq. & in irenico vere christiano cap. 12. pag. 66. & sequ.

Hül-

Hülſemannus in Calviniſmo irreconciliabili pag. 26. & ſeq. ut plures alios taceamus. Cæterum Amyraldus verba decreti Carentonenſis ita recitat: *quandoquidem eccleſiæ confeſſionis Auguſtanæ conveniunt cum cæteris eccleſiis Reformatis in præcipuis articulis fundamentalibus veræ religionis &c.* Et Dieſtius apud Calovium in δοκιμασία Spiritus Syncretiſtici pro verbis: *in omnibus veræ religionis principiis* ponit: *in omnibus fere religionis principiis &c.* quaſi Carentonenſis Synodus non univerſalem per omnia utriusque hujus religionis conſenſum, ſed in plerisque tantum & præcipuis articulis agnoverit. Verum ſi Gallicum eumque authenticum Synodi textum evolvamus, quem ex Blondelli actis authenticis Hoornbeckius de conſociatione evangelica pag. 733. & Geſſelius in hiſtoria eccleſiaſtica tom. II. p. 786. adduxerunt evolvamus, apparet Synodum non de præcipuis articulis fundamentalibus, nec de omnibus fere religionis principiis locutam, ſed in genere de principiis & punctis fundamentalibus veræ religionis. Et fatendum eſt etiam apud ipſum Dieſtium in noſtro exemplari non legi: *in omnibus fere religionis principiis*, ſed: *in omnibus veræ religionis principiis.* Omnino ergo Synodus Carentonenſis in omnibus veræ religionis principiis & articulis fundamentalibus Lutheranos cum Calvinianis conſentire ſtatuit, qui conſenſus in omnibus articulis fundamentalibus nunquam demonſtrari poterit, cum ne id quidem probari poſſit, quod in præcipuis veræ religionis articulis fundamentalibus Lutherani cum Calvinianis conſentiant. Interim laudanda Synodus, quod æquius de Lutheranis ſenſerit, quam quidam alii Calviniani, qui Lutheranos variarum hæreſium poſtularunt, eosque oves Chriſti eſſe negarunt, & æternæ damnationi devoverunt.

XXVI. Alterum fundamentum indulgentiæ erga Lu-

Lutheranos Synodus Carentonenſis in eo ponit, quod Lutherani cultum ab omni idololatriæ & ſuperſtitionis labe purum habeant. Laudanda hic iterum Synodus, quod aliorum Calvinianorum calumniam, tacite refutet, qui noſtris eccleſiis ob doctrinam de adoratione Chriſti hominis, de uſu imaginum in templis, de virtute baptiſmi, de præſentia corporis Chriſti in euchariſtia & aliis quibusdam articulis idololatriæ & ſuperſtitionis labem aſpergunt. Quemadmodum autem Synodus Carentonenſis ex puritate cultus Lutherani argumentum depromit Lutheranos ad eandem cum Reformatis communionem invitandi; ita e contrario nobis illa Lutherani cultus puritas argumentum eſt, quo concludimus Lutheranis à communione cætus heterodoxi abſtinendum eſſe.

XXVII. Ipſam Synodi Carentonenſis indulgentiam erga Lutheranos quantum attinet, tribus illa capitibus continetur. Primum caput his verbis continetur: *Si qui ſint Auguſtanæ profeſſionis homines, qui cum caritatis & lenitatis ſpiritu ſacros eccleſiarum noſtrarum cætus frequentent, earumque communionem expetant, iis ſine omni abjuratione prævia liberum eſto ad ſanctam Chriſti menſam nobiscum accedere.* Ecquis vero ingenuus Lutheranus hanc communionem expetat, aut ad ſacram cum Reformatis menſam accedere cupiat, ſi vel maxime absque prævia abjuratione hoc ipſi liberum relinquatur? Certe nullus Lutheranus eadem cum Reformatis cœnæ communione frui poterit, niſi conſcientiam ſuam graviſſime vulnerare velit.

XXVIII. Pri-

XXVIII. Primum enim dubitari posſit, an apud Reformatos integrum eucharistiæ sacramentum administretur? Etsi enim Heideggerus in Corpore Theologiæ Christ. tom. 2. libr. 25. p. 496. asserat, quod utrinque, nempe apud Lutheranos pariter & Reformatos in confesso sit, in utriusque partis ecclesiis usum sacramenti secundum Christi institutionem sine substantialium additione vel detractione integrum & illibatum manere, quam sententiam Rintelensium Theologorum autoritate confirmat, quos in colloquio Cassellano ingenue confessos ait, neminem inter suos reperiri, qui Reformatos habere verum sacramentum ambigat: major tamen nostratium pars in Reformatorum cœna paleam sine tritico, & putamina sine nucleo h. e. symbola terrena sine re cœlesti exhiberi statuit. Ipse Lutherus im Bekäntniß vom Abendmahl Tom. II. Witeb. German. 206. de Calvinianis scribit, daß sie eitel Brodt und Wein haben / hac ratione addita: denn sie haben auch die Worte und eingesetzte Ordnung GOttes nicht / sondern dieselbige nach ihrem eignen Dünckel verkehret und verändert. Hunc sequitur Balduinus in Cas. Consc. p. 165 scribens, Pontificios panem & vinum, Calvinianos autem corpus & sanguinem e cœna auferre, & iterum p. 344. Calvinianos institutionem sacramenti non habere integram, & per consequens non habere verum sacramentum, item: Calvinianos apud nos accipere verum corpus & sanguinem Christi, nostros autem a Calvinianis verum corporis Domini sacramentum non accipere. Nec alia sententia est Waltheri, qui in Miscellaneorum centuria c. 38. ad quæstionem: num Calviniani verum habeant cœnæ sacramentum? respondet: *minime gentium.* Cum enim sacramenti hujus essentia violetur, si panis vel vinum omittatur, multo magis essentiam sacramenti hujus violari statuit, si furtim surripiatur verbum Christi cum suo intellectu adæquato, & una cum isto verbo corpus & sanguis Domini. Unde postea infert: qua itaque conscientia quisquam nostrum a Calvinisequis sumere posset & petere synaxin? Non ego paleas

mihi optarem sine tritico, wenn ihr nur Brodt essen und Wein trincken wollet / habt ihr nicht Häuser / da ihr solches thun möget? 1. Cor. XI, 22. Huc facit Jacobi Martini exemplum demonstrationis theologicæ secundum, quo probatur Calvinianas, Photinianas & Pontificias ecclesias non habere veramcœnam, Witebergæ 1618. propositum, ut plures alios taceamus.

XXIX. Fatemur, tamen esse etiam inter nostros, qui verum cœnæ sacramentum a Calvinianis accipi concedunt. Nam in responso quodam apud Dedekennum Tom. I. p. 543. dicitur, nihil substantiæ sacramenti decedere, si Calvinianus nihil præter panem & vinum in cœna sacra dispensari censeat, dummodo forinsecus Christi institutionem observet. Et Johannes Olearius Theol. D. in explicatione quæstionis a quodam Magisterii candidato in Academia Julia propositæ: an tempore necessitatis sacram cœnam vel a Pontificio vel a Calviniano Pastore quis bona conscientia possit accipere? inter alia his verbis utitur: *Enimvero si divina servetur institutio, si verba quemadmodum in nostris ecclesiis fit, pronuncientur, probabile quidem est ab illis* (Calvinianis) *verum administrari sacramentum.* Nec aliter sentit Wagnerus in inquisitione theologica in acta henotica sect. 5. c. 2. ubi quærit: utrum Reformati, dum cœnam administrant, rem cœlestem ex ea tollant, an non potius veram cœnam integre administrent? quam quæstionem ita decidit, ut ad prius quæstionis membrum negative, ad posterius affirmative respondeat. Neque nos huic sententiæ magnopere refragabimur. Verbo enim ad elementum accedente fit sacramentum, cujus efficacia non ab hominum interpretatione, sed divinæ institutionis autoritate dependet, unde etiam baptismus Calvinianorum, non obstante Calviniana doctrinæ de baptismo corruptela, pro rato & legitimo ab omnibus habetur.

XXX. Neque tamen, si verum in Reformatis, ut dici amant, ecclesiis eucharistiæ sacramentum administrari ponamus, inde colligi poterit, Lutheranos salva & illæsa conscientia

tia apud Reformatos eucharistiam accipere posse. Sacra enim Scriptura nos sæpissime admonet, ut commercia cum heterodoxis quoad fidem & cultum fugiamus, 1. Reg. XVIII, 21. Psalm. XXVI, 5. Psalm. CXIX, 113. Matth. VII, 15. Rom. XVI, 17. 1. Cor. X. 21. 2. Cor. VI. 14. & sequ. Gal. I, 6. seq. Apoc. XVIII, 4. ut alia hujusmodi loca taceamus. Quorsum etiam faciunt verba Psalmi primi, quæ B. Lutherus in Epistola ad Præpositum Bremensem ita ad Calvinianos applicat: Selig ist der Mann der nicht wandelt im Rath der Sacramentirer / noch tritt auf den Weg der Zwinglianer / noch sitzet da die Zürcher oder Schweitzer sitzen.

XXXI. Deinde notum est, Sacramenta esse notas discretionis & speciem confessionis illius fidei & doctrinæ, quam Ecclesia, in qua sacramentis utimur, agnoscit. Unde Illustrissimus Princeps Wurtenbergicus Fridericus in præfatione ad acta Colloquii Montisbelligartensis, *ea*, inquit, *per Dei gratiam sacrarum rerum cognitione præditi sumus, ut sciamus, sacram Domini cœnam inter alios fines etiam hunc usum habere, ut sit religionis, quam quisque profitetur, nota & symbolum. Qui enim cum ecclesia aliqua in hujus Sacramenti sumtione communicant, hoc ipso publice profitentur, quod ejusdem ecclesiæ doctrinam amplectantur, & contrariam rejiciant, seque ab aliis separent.* Et paulo post: *itaque sumtione cœnæ dominicæ nequaquam ludendum aut quidvis simulandum esse, a quo animus abhorreat, semper judicavimus.* Et ex hoc ipso fundamento ipsi quoque Reformati A. C. 1581. in Synodo Middelburgensi can. 44. decreverunt, neminem in suis ecclesiis ad cœnam admittendum, nisi professionem fidei Reformatæ ediderit. Plura Reformatorum testimonia, qui sacramenta ecclesiarum esse testeras agnoscunt, ex privatis eorum scriptis & publicis confessionibus adducere nolumus. Miramur vero Bartholomæi Prævostii Amstelodamensis Remonstrantium Concionatoris consilium a Stephano Curcellæo ad calcem suæ præfationis ad opera Episcopii memoratum & commendatum, cujus summa huc redit, assi-

gnandum esse cuilibet sectæ dissidentium locum specialem ad suos conventus, templum tamen commune aliquod esse statuendum, in quo non nisi communis omnium partium doctrina proponatur, & sacramenta quibuslibet administrentur.

XXXII. Porro Christus & Apostoli scandala serio vitanda esse monent Matth. XVIII, 6. seq. 1. Cor. X, 32. &c. Est autem res magni scandali, si Lutheranus in Reformata ecclesia eucharistiam accipiat. Præterea ovium Christi nota est, alienos pastores fugere, Joh. X, 5. Neque christianos hypocrisis & simulatio hujusmodi decet, qua heterodoxi in pravis suis opinionibus confirmantur. Enimvero non solum mala fugienda sunt, sed etiam species mali 1. Thess. V, 22. Unde fideles primitivæ ecclesiæ ne ab illis quidem, qui pios ecclesiæ doctores persequebantur, aut illius persecutionis participes erant, eucharistiam accipere vel ecclesiasticam societatem cum iis colere volebant, cujus rei exemplum præbent Johannitæ, qui Chrysostomo in exilium pulso cum Arsacio ejus successore ejusque consortibus communicare haudquaquam sustinebant, ut refert Sozomenus libr. 8. c. 23. hist. eccles. Recte igitur abstinent Lutherani ab eucharistia, quæ a Reformatis dispensatur. Res enim sanctæ, qualis est eucharistia, tam leviter tractandæ non sunt, ne plus vulneris conscientiæ inferamus, quam animæ salutem afferamus, si cum cœtu heterodoxo colludamus, ut taceam, talem collusionem apostasias periculo non carere. Conferantur Balduinus in cas. Consc. p. 343. Königius in Cas. Consc. p. 582. Finckius in quæstionibus illustribus p. 933. Bechmannus de Cas. Consc. p. 222. Pfnœrus in responso ad quæstionem: ob ein rechtgläubiger Christe mit unverletztem Gewissen und ohne Aergerniß das Abendmal von einem Calviniſchen Administranten oder Prediger empfahen könne? apud Dedeken. Tom. I. p. 544. & alii.

XXXIII. Adeo autem Nostrates a Calvinianorum cœna abhorrent, ut Lutheranis eam ne in necessitatis quidem casu permittant. Illis enim, qui in tali loco versantur, ubi Lutheranum

Pa-

Paſtorem non habent, conſulunt, ut alibi Lutheranum Paſtorem quærant, etſi id ſine rei familiariis jactura aliisque moleſtiis fieri commode non poſſit. Si autem morbo detineantur, & conſolationem ex euchariſtiæ uſu in extremo agone appetant, illud Auguſtinianum ipſis in culcandum ſuadent: crede & manducaſti, ut patet ex D. J. Olearii ſupra laudati reſponſione ad quæſtionem a Magiſterii Candidato in Academia Julia propoſitam, quæ & ſeorſim A. C. 1582. Erffurdiæ typis impreſſa eſt, & a Joachimo Pollione Vratislavienſi Paſtore Conſiliorum Theologicorum centuriæ ſecundæ qv. 33. p. 165. inſerta legitur. Idem ſentit Hutterus in locis Theologicis p. 727. ubi ad quæſtionem: an aliquis recte ſentiens de cœna Dominica tempore neceſſitatis communicare poſſit apud Calvinianos & Pontificios? negative reſpondet. Si quis autem ulterius quærat: quid faciendum, ſi quis tanto hujus Sacramenti deſiderio teneatur, ut absque eo nullam conſolationem admiſſurus videatur? reſpondet, ne in hoc quidem caſu hæreticorum ſacris participandum eſſe. Talis enim de quo quæritur vel adverſariorum errores perſpectos habet, vel non habet. Si perſpectos habet, evidentiſſimum ſignum fuerit, ipſum eſſe hypocritam, & noſtræ confeſſioni non ex aſſe addictum. Sin nondum adverſariorum errores perſpectos habet, de illis informandus erit, quo facto a tali communione toto pectore abhorrebit. Conferatur etiam Menzerus im Bericht vom Abendmahl qv. 40. & 41. Balduinus in poſteriorem ad Conrinthios c. VI. part. 2. quæſt. 4. Finkius in quæſtionibus illuſtribus qv. 4. & alii. Neque hic prætermittenda verba Lutheri in der Warnungs-Schrifft an die zu Franckfurt am Mäyn Tom. 6. Jenenſ. German. fol. 106. Wer ſeinen Seelſorger öffentlich weiß/ daß er Zwingliſch lehret/ den ſoll er meiden/ und ehe ſein Leben lang des Sacraments entpehren/ ehe ers von ihm empfahen ſolte/ ja auch ehe drüber ſterben und alles leiden.

XXXIV. Facile igitur Synodus Carentonenſis ſubodorari potuit, Lutheranos γνησίως tales ad Reformatorum menſam

non acceſſuros, ideoque eos tantum invitat, *qui cum caritatis & lenitatis ſpiritu ſacros Reformatarum eccleſiarum cætus frequentant, & eorum communionem expetunt.* Talis erat ille juvenis, cujus deſideria decreto Carentonenſi occaſionem dediſſe ſupra diximus. Is enim in Reformatorum cætibus frequens erat, & cætera doctrinæ & diſciplinæ Reformatorum capita, excepto dogmate de ſacra cœna, ita probabat, ut cum ipſis communicare paratus eſſet, modo absque abjuratione ſuæ de euchariſtiæ ſacramento doctrinæ id ſibi facere liceret. Talibus ergo Lutheranis vel potius Semi-Calvinianis Synodus liberum permiſit ſine prævia abjuratione cum Reformatis communicare, idque dubio procul eam ob cauſam factum eſt, quod hujusmodi homines ſucceſſu temporis totos in naſſam ſuam pertractum iri ſperaret.

XXXV. Lepida autem ſunt Mareſii conſilia, qui in Sylloge diſputationum ſelectarum Tom. 1. p. 556. exiſtimat, loco epiſtolarum encyclicarum ſeu communicatoriarum, quibus olim variarum nationum Epiſcopi ſanctam inter ſe unionem teſtabantur, cum illæ pridem in deſvetudinem abierint, poſſe conſtitui inter Reformatos & Auguſtanæ confeſſioni addictos, ut ſi membrum aliquod particulare alterutrius communionis negotiorum privatorum & peregrinationis ergo verſetur in iis locis, in quibus ſuæ communionis cætus & homines non ſint, a fratribus alterius admittatur ad ſacramenti participationem ſi ita petierit, non obſtante utriusq; partis in controverſis capitibus diſſenſu. Qualis vero quæſo communio inter illas veterum communicatorias, quæ ad eccleſias unius fidei & religionis mittebantur, cum communione peregrini Lutherani apud Reformatos, aut Reformati peregrini apud Lutheranos religione non minus quam regione diſſidentes? Certe illis veterum communicatoriis literis ſimiles non fuere literæ Tigurinorum ad conventum eccleſiaſticum Argentoratenſem, quibus profitentur, quod ſuis adoleſcentibus Argentorati ſtudiorum gratia

tia versantibus interdixerint, in ecclesia Argentoratensi sacram cœnam accipere. Verba illius epistolæ à Dannhavvero in Reformat. Salve p. 587. allegata ita sonant: Unsere Knaben haben nicht einerley Glauben mit euch/ warum solten sie denn äuserlich mit dem Werck bezeugen/ was sie doch inwendig im Hertzen nicht gläuben? Et quamvis postea Helvetii ab isto rigore nonnihil remisisse videantur, cum Werenfelsius in homilia de S. eucharistia 1685. Basileæ habita referat, indultum Reformatis Helveticæ confessionis apud Lutheranos communicare, ut refert Autor anonymus der Abhandlung etlicher Fragen p. 115. non alia tamen conditione id fieri posse addit, quam si prius communicaturi confessionem suam, cui addicti sint, apud Ministrum Lutheranum edant.

XXXVI. Nimirum Reformati non sine multis cautelis & conditionibus suæ communionis hominibus permittunt ejusdem cum Lutheranis cœnæ communionem, ut ex Bergii tractatu, daß Christi Worte &c. part. 2. c. 20. aliisque Calvinianorum scriptis apparet. Zacharius Ursinus in epistola ad Andream Dudithium Tom. 3. Op. p. 817. has conditiones ponit. 1. Si ministerium purius in loco ubi vivunt, aut in vicinia non habeant, aut inviti ab ejus usu arceantur. 2. Si communionem cum errantibus non habeant, neque hac communione falsam Lutheranorum doctrinam approbent, nec veram Reformatorum improbent. 3. Si apud ministrum, à quo eucharistiam accipiut, confessionem suam aperte & ingenue edant. 4. Si hanc confessionem etiam apud alios non dissimulent. Easdem conditiones repetit Henricus Altingius in Theologia problematica part. 2. problem. 18. & hanc insuper addit, si conscientiæ suæ hoc pacto satisfaciant, eamq; ab omni scrupulo liberare possint. Distinguit insuper inter Lutheranos moderatos & immoderatos, sub moderatiorum nomine intelligens Crypto-Calvinianos & Syncretistas, sub immoderatorum nomine, quos alibi furiosos appellat, cordatos & ingenuos Theologos Lutheranos, monetque non ab his, sed ab illis Reformatos eucharistiam petere debere.

XXXVII.

XXXVII. Poterat enim non difficulter divinare, quod cordati Theologi Lutherani Calvinianum in sua doctrina pertinaciter perseverantem ad sacra sua non essent admissuri. Lutherus ipse in der Weise Christlich Messe zu halten Tom. III. Jen. fol. 273. non alios vult à Pastoribus ad cœnam admitti, quam qui recte de hoc sacramento respondent. Huc etiam faciunt responsa Facultatis Theologicæ Lipsiensis & Witebergensis Ann. 1568. concinnata, & postea 1582 Francofurti ad Oderam impressa, quæ etiam Conradus Porta pastorali Lutheri fol. 289. & seq. inseruit. Cum enim illo tempore Nobilis quidam Calvinianam de cœna sententiam tenens à Pastore quodam Lutherano eucharistiam peteret, & repulsam ferret, Nobilis autem ille ulterius instaret, Commissarii Episcopales Misenenses Wurzena ad utramq; Facultatem scripserunt, ejusq; decisionem desiderarunt. Utraque autem Facultas respondit, Nobilem illum, nisi à suo errore absistat, à Lutheranis Pastoribus ad S. cœnam admitti non posse. Quam sententiam utraque Facultas gravissimis rationibus probavit. Pertinet huc etiam responsum in causa D. Garzæi datum d. 19. April. 1621. Cum enim Garzæus Floringium quendam Calvinismi suspectum, imo aperte Calvinianum à Ministerio Lutherano ad sacram synaxin admitti postularet, & Ministerio id facere recusante ipse privatim inscio Ministerio Floringio sacram cœnam porrigeret, Petrus Conovius nomine Ministerii Brandenburgensis in veteri oppido rem istam ad Facultatem Witebergensem retulit, & responsum obtinuit, quo probatur D. Garzæum rem ab officio boni Pastoris & Theologi alienissimam fecisse, dum homini Calviniano sacram synaxin administrare minime dubitavit. Legitur hoc responsum Witebergense Tom. I. Consil. Witeb. p. 473. Similia responsa Witebergensium, quibus ostenditur Calvinianos à Ministro Lutherano salva conscientia ad sacram synaxin admitti non posse, leguntur in iisdem consiliis Witebergensibus Tom. II. p. 109. seq. cum quibus conferri poterit Calovius in den zwey Fragen de Syncretismo non neminis quæst. 3. ob die Reformirten

ten zu dem heiligen Abendmahl zu zu lassen / und ob zu ihrer Zulassung dieses genung / daß sie sich nur äußerlich nach unsern Ceremonien bequemen / ob sie gleich sonst von ihrer irrigen Lehre nicht begehren abzustehen?

XXXVIII. Frustra ergo soliciti sunt Reformati in enumerandis cautelis & conditionibus, quas hominibus suæ communionis præscribunt, si a Lutheranis sacram cœnam sibi exhiberi velint. Quanto enim apertius ejusmodi homines Calvinismum suum produnt, tanto minus à Lutheranis Pastoribus admittuntur. Nam de occultis judicare non possumus. Si quis autem aperte se Calvinianorum erroribus addictum profiteatur, iisque se constanter adhærorum testetur, ad Lutheranam synaxin non admitti potest, sicut & olim Nestoriani ad synaxin orthodoxæ ecclesiæ admissi non sunt. Infirmorum & simpliciorum qui rectius informati errores Calvinianos abjicere parati sunt alia est ratio. Unde Constitutio ecclesiastica Saxonica im 8. General-Artickel p. 200. hoc monitum suppeditat: Die im Glauben vom heiligen Abendmahl irrig worden / sollen die Pfarrer mit dem Geist der Sanfftmuth aus Gottes Wort gründlich berichten / und die Gradus admonitionius mit denselben / wie auch andern halten / wenn sie aus Gottes Wort nothdürfftiglich unterwiesen worden. Conferatur Gerhardus Loc. de cœna §. 222. & Bechmannus in Cas. conscientiæ p. 198. Qui autem post præviam informationem in erroribus suis perseverant & orthodoxam doctrinam amplecti detrectant, à cœnæ nostræ communione merito repelluntur. Unde Galli exules, qui sub libera protestatione confessionem suam Gallicam retinendi cœnam Domini cum Lutheranis sumere volebant, & si illud obnixe & demisse peterent, à Würtenbergensibus Pastoribus repulsi & admoniti fuerunt, ut si cum Lutheranis communicare vellent, etiam Confessionem Lutheranam sincere amplecterentur. Videatur præfatio actorum Colloquii Montis belligartensis, & in ipsis actis Bezæ & Collegarum supplicatio, qua inter alia rogant, ut confessionis suæ

fratribus confessionem suam sine ullo alterius præjudicio retinentibus sacram cœnam ex aliorum manibus percipere liceat, quæ supplicatio pag. 374. actorum legitur, & in appendice actorum duplex Principis Friderici decretum, quo Gallis exulibus reformatæ religionis Lutherana communio, nisi secundum suæ Celsitudinis confessionem & ordinationem ecclesiasticam ad sacram mensam accedere velint, denegatur, quorum prius ante colloquium, posterius post colloquium illud datum est. Cui duplici decreto etiam additur eorum, quæ ulterius à Gallis exulibus in ista causa tentata sunt, brevis narratio.

XXXIX. Si quis excipiat Petrum Martyrem non incelebrem Reformatarum partium Doctorem in Anglia illo tempore, quo ibi dogma manducationis oralis tradebatur, Parochum quendam accessisse, & præmissa fidei suæ protestatione petiisse, ut ad cœnam admitteretur, idque a Parocho ipsi concessum fuisse, item Johannem a Lasco Witebergæ cum Melanchthone cœnam sacram sumsisse, ut de utroque refert Zanchius lib. 1. epistol. in epistola de fractione panis ad Ottonem de Grunrade p. 164. 165. item Zachariam Ursinum in patria sua Vratislaviæ apud Lutheranos communicasse, ut ipse in epistola ad Dudithium superius allegata refert, & si quæ forte sunt his similia exempla; Respondemus non exemplis, sed legibus judicandum esse. Miramur tamen Martyrem in Anglia apud Lutheranos communicare voluisse, qui ecclesiæ Anglicanæ in epistola ad eam scripta p. 1098. omnibus modis suadet, ut infantes suos potius sine baptismo mori sinat, quam Lutheranis baptizandos tradat. Cur ergo Martyr non mori potius voluit, quam apud Lutheranos communicare? Quod autem Johannes a Lasco Witebergæ communicavit, non adeo miramur, siquidem a Melanchthone & Philippistis id haud difficulter impetrare potuit. Ursinum quod attinet, ipse in epistola allegata addit, quod ob confessionem in patria factam a patria absit. Quam primum enim Vrsini Calvinismus agnitus fuit, diutius in patria subsistere

non

non potuit, ſed cum a Collegis aliisque pro Sacramentario haberetur, dimiſſionem ſuam petiit, nec difficulter impetravit.

XL. Fortaſſe autem ex eo, quod Calviniani aperte tales ad ſacram cœnam non admittuntur colliget aliquis, Lutheranos magis a caritate alienos eſſe quam Reformatos, cum Lutherani a Synodo Carentonenſi ad Reformatorum menſam admiſſi fuerint. Verum iſta Synodi Carentonenſis indulgentia non tam ad pacem cum Lutheranis, quam ad ſeductionem Lutheranorum ſpectavit. Illos enim tantum Lutheranos Synodus Carentonenſis ad communionem invitavit, de quibus ſpem aliquam plenariæ ad Calviniſmum defectionis concipere potuit. Unde etiam non legimus, quod Synodus Carentonenſis Lutheranis ad Reformatorum communionem acceſſuris confeſſionem Lutheranæ de cœna doctrinæ, aut proteſtationes hujusmodi conceſſerit, citra quas Calvinianis euchariſtiam a Lutherano Paſtore accipere non licet. Sed contenti eſſe debent Lutherani, ad Reformatorum communionem acceſſuri, ſi absque abjuratione Lutheranæ de cœna doctrinæ ad communionem admittantur. Quid vero aliud hoc eſt, quam tacito conſenſu Reformatorum doctrinam approbare, donec ſucceſſu temporis tacitus ille conſenſus in publicum mutetur? Quo conſilio etiam Marpurgenſes Lutheranis communionem non denegarunt. Diſtinguunt illi im Gegen-Bericht p. 131. inter Lutheranos pertinaces, ſcilicet qui Calvinianis erroribus ſe imbui non patiuntur, & inter infirmos, & poſtquam infirmos ad communionem ſuam admitti non diſſimularunt, ſtatim addunt: Unterdeſſen lehren und vermahnen wir ſie / was ſie vom Nachtmahl zu ihrer Seligkeit wiſſen und glauben / und wie ſie daſſelbige würdiglich gebrauchen können. Quid Marpurgenſibus reſponderit Menzerus im Nach-Bericht p. 137. & ſeqq. jam non repetimus. Notamus potius ea ratione Lutheranos ad cœnam à Reformatis admitti, qua etiam Arminianos admitti aſſerit Mareſius in refutatione præfationis Curcellæanæ apologeticæ, ita nempe, ut nonnulli eorum circa prædeſtinationis myſterium errores tan-

tiſper tolerentur, donec ad pleniorem cognitionem cum tempore traducantur.

XLI. Diſſimulatis his Carentonenſis Synodi inſidiis Dallæus in reſponſione ad orationem Epiſcopi Aurelianenſis p. 182. & ſeq. Lutheranos a Reformatis ad communionem S. cœnæ invitari potuiſſe inde probat, quod vix unquam aliqua Chriſtianorum ſocietas fuerit, quæ non ferret aliquos aliter de quibusdam ſentientes, ideoque Paulus inter eos, qui de adiaphoris diſſentiebant, contentiones fieri noluerit, Rom. XIV, 2. 3. & alibi præceperit, ne eos, qui diverſum a nobis ſapiunt, abjiciamus Phil. III, 15. Addit Dallæus exemplum Juſtini Martyris, qui in Dial. cum Tryphone judaizantes quosdam recipi, & ad omnium rerum communionem admitti voluit, Polycarpi, qui ab Aniceto in controverſia paſchali diſſentiens ad ſacram menſam non modo admiſſus ſed & invitatus fuit, Dionyſii Alexandrini, à quo etſi Chiliaſtarum advdrſario quemquem Chiliaſtarum excommunicatum non legimus, Cypriani, qui in controverſia de miniſtro baptiſmi alios a ſe diſſentientes ferendos neque e communione ſua ejiciendos exiſtimavit, Hieronymi, qui magna erga Chiliaſtas moderatione uſus eſt, & Auguſtini, qui ſalva amicitia in nonnullis quæſtionibus ab Hieronymo diſſenſit. Verum hæc omnia ad juvandum Synodi Carentonenſis inſtitutum nihil faciunt. Aliud enim eſt diſſentientes in adiaphoris & ex infirmitate errantes tolerari, quod Paulus præcipit, aliud incautos ſub tolerantiæ & concordiæ prætextu ad erroris communionem allici, quod in Synodo Carentonenſi factum eſt. Adducta quoque Patrum exempla parum huc quadrant. Juſtinum cum Reformatis, judaizantes quos Juſtinus recipiendos & ad communionem omnium rerum admittendos cenſuit, cum Lutheranis perperam contulit Dallæus, & falſo ſibi perſvadet minorem eſſe inter Lutheranos & Reformatos diſſenſum, quam inter Juſtinum & judaizantes illos Chriſtianos fuit. Neque diſſenſus Polycarpum inter & Anicetum circa tempus celebrandi feſti paſchalis, Cyprianum inter & Stephanum circa controverſiam de baptiſmo

ſmo hæreticorum, Dionyſium Alexandrinum inter & Nepotem ejusque aſſeclas circa regnum millenarium, Hieronymum inter & Chiliaſtas vel etiam Hieronymum inter & Auguſtinum circa alias quæſtiones talis & tantus fuit, qualis & quantus Lutheranæ cum Reformata eccleſia intercedit. Accedit quod Patrum illorum lenitas & moderatio erga errantes non obſtiterit, quo minus, ubi opus foret, rigorem & zelum uſurparent inprimis adverſus eos, qui errores fidei fundamentum ſubvertentes pertinaciter propugnabant. Tantum certe abeſt, ut cum heterodoxis eccleſiaſticam ſanciverint concordiam magni illi eccleſiæ doctores, ut potius probe gnari exiguo fermento totam maſſam corrumpi poſſe, eorum communionem fugiendam eſſe paſſim inculcaverint. Unde Cyprianus Ep. 59. *nulla*, inquit, *ſocietas fidei & perfidiæ eſſe poteſt; qui cum Chriſto non eſt, qui adverſarius Chriſti eſt, qui unitati & pacı ejus inimicus eſt, nobiſcum non poteſt cohærere.* Denique ſi Patres nonnulli in moderatione adverſus heterodoxos ad alteram partem nimis deflexiſſent, eorum exempla imitanda non eſſent, cum ad legem & teſtimonium reſpicere debeamus.

XLII. Poterat quoque ſuperſedere Dallæus inſtantia ab Anglis presbyteri cum Epiſcopo paritatem negantibus deprompta. Anglos enim Reformatæ eccleſiæ addictos ſive Epiſcopales ſive Presbyterianos a Reformatis ad communionem admitti, nemo mirabitur. At quis credat, Anglorum in Hierarchia eccleſiaſtica a reliquis Reformatis diſſentientium eandem eſſe rationem cum Lutheranis, qui & in articulo de ſacramento cœnæ & in pluribus aliis a Calvinianorum ſententia toto cœlo diſtant? Sane ipſe Dallæus firmiter ſibi perſuadet, per Lutheranorum de Chriſti in eucharistia præſentia doctrinam ejus humanitatem veris ſuis ac neceſſariis proprietatibus ſpoliari, idque ex Lutheranorum dogmate neceſſario ſequi judicat, & contra eos valide probari, quo talium conſequentiarum horrore a ſuo illa dogmate abducantur. Me-

rito igitur Veronus miratus est, Lutheranos a Synodo Carentonensi ad S. cœnam invitatos & admissos, quos tamen Reformati humanam Christi naturam veris suis & necessariis proprietatibus spoliare credunt.

XLIII. Idem Veronus objecerat Reformatis, quod hoc Decretum Carentonensis Synodi cum recepta apud Reformatos de Lutheranis sententia pugnet; & similiter Episcopus Aurelianensis in oratione sua Lutheranorum admissionem ad cœnam apud Reformatos novitatem dixerat. Ad quæ regerit Dallæus, probandum esse, quod Reformatæ communionis ecclesiæ vel in Gallia vel alibi aliter de Lutheranis vel olim statuerint, vel adhuc statuant, cum nullum extet Reformatarum ecclesiarum decretum vel antiquum vel recens, quo Lutheranos a cœnæ suæ communione prohibuerint. Verum omnino decreta Reformatorum extant, quibus Lutheranos a cœna sua arcuerunt. Adduximus enim jam supra Synodi Mittelburgensis canonem, quo decernitur, neminem ad communionem cœnæ admitti debere, nisi qui professionem reformatæ religionis ediderit. Addimus nunc Synodum nationalem Dordracenam Anno 1578. celebratam, in qua c. 63. decernitur, neminem esse ad ecclesiam recipiendum, nisi prius a presbyterio aut minimum ab uno Diacono & Presbytero de summis capitibus religionis sit examinatus, nec ad cœnam admittendum, nisi prius in presbyterio aut in templo post concionem, quæ ante cœnæ administrationem habetur, aperte profiteatur, se doctrinam Reformatæ ecclesiæ amplecti, eique constanter adhæsurum esse. Omnino igitur novitatis aliquid habet decretum Synodi Carentonensis de admissione Lutheranorum ad Sacramentum cœnæ.

XLIV. Objecerat & hoc Veronus Reformatis, quod antehac in Gallia Lutheranis quidem licuerit Reformatorum cœtus frequentare & concionibus interesse, sed ea lege, ut ubi primum sacra cœna administrari cœpisset, statim exirent. Id vero mendacium esse Dallæo facile credimus. Neque enim

ita

ita cum Lutheranis actum putamus, quemadmodum olim cum Catechumenis, pœnitentibus & energumenis actum est, qui ante administrationem cœnæ a Diacono templis exire jubebantur. At hoc Dallæo non credimus, decretum Synodi Carentonensis non modo novum non esse, & ab aliorum Reformatorum sensu alienum, sed communi eorum omnium sententiæ atq; disciplinæ congruere. Si enim admissio Lutheranorum ad sacram Synaxin apud Reformatos communi omnium Reformatorum sententiæ congruit, cur Synodi natlonales Dordracena & Middelburgensis non alios ad eucharistiæ sacra admiserunt, quam qui professionem religionis Reformatæ ediderunt? Nec dubito, quin plures Reformatorum ecclesiæ in hunc usque diem Lutheranis, si tale quid eos petere contingeret, id essent denegaturi, quod a Carentonensi obtinuerunt. Lepida vero est probatio, qua Dallæus stabilire conatur decretum Synodi Carentonensis communi omnium Reformatorum sententiæ & disciplinæ congruere. *Atque hic*, inquit, *illud imprimis pono, quod a nemine Christiano negatum iri arbitror, quem tu pro tuo in Christo fratre esse censeas atque agnoscas, ei licere fasque esse tecum ad eandem mensam accumbere, communisque Domini ac Patris epulum tecum una gustare. Ergo si Lutheranos pro fratribus in Christo suis, & majores nostri & alii omnes Reformati habuerint atque agnoverint, nemo dubitare poterit, quin ex eorum mente & sententia decretum sit, Lutheranos, si qui nobiscum communicare voluerint, ad Domini mensam admittendos esse.* Cui vero persvadebit Dallæus, Lutheranos semper ab omnibus Reformatis pro fratribus agnitos fuisse? Quis vero credat Reformatos pro fratribus agnoviſſe Pelagianos, Eutychianos aliosque hujusmodi hæreticos, quos tamen in Lutheranis revixisse millies inculcant? Editus est Lugduni Batav. 1693. Henrici Hulsii Theologi Brandenburgici, ut titulus habet, in Academia Duisburgensi tractatus de Vallibus Prophetarum sacris, in quo p. 72. scribit, aperte magis quam Episcopales in Anglia & Universaliſtas in Gallia animum scortatorium prodere Lutheranos

ranos omne quod ſuper eſt ex Ægypto Myſtica fermentum retinentes, ova habentes, e quibus Baſiliſcus excludi queat, ſcortantes in regimine, in ritibus, in doctrina, in electione ex fide præviſa ad Pelagianiſſimum & vires liberi arbitrii accédere, in baptiſmo Magiam Pſeudoprophetarum exercere, in articulo de cœna longe craſſius quam Pontificios errare. Num vero is Lutheranos pro fratribus agnoverit? Equidem Dallæi ætate ſcriptum hoc longe eſt recentius. At Dallæi ætate & ante ipſum haud diſſimilibus, imo & pejoribus convitiis Lutheranos proſciderunt Reformati, quæ ſilentio præterire quam hic iterare malo.

XLV. Quæ Dallæus recitat de Colloquio Marpurgenſi, de Oecolampadio ad Suevos Fratres amanter ſcribente, de Calvino Lutherum magni æſtimante, de Lutheranorum & Reformatorum concordia in Polonia & Lithuania A. C. 1570. in Sendomirienſi Synodo conſtituta, & in aliis hanc ſecutis Synodis confirmata, de Lutheranorum & Reformatorum unione in Bohemia, de Caſpare Peucero & Henrico Mollero in doctrina de cœna Reformatam ſententiam tenentibus, & quoties & quamdiu licuit in Lutherana Eccleſia communicantibus, de Principibus quibusdam & Dynaſtis pro Lutheranorum cum Reformatis unione laborantibus, de libello irenico apud Belgas edito, de Juello Sarisburienſi Epiſcopo fraternam eorum, qui per contumeliam Lutherani & Zvvingliani appellantur, concordiam prædicante, de ſcriptis irenicis trium illuſtrium in Anglia Epiſcoporum, de Beza Collocutoribus ſuis Montisbelligartenſibus ſocietatem & fraternitatem chriſtianam offerente, de Antonio Sadeele nullum fundamentalem inter Lutheranos & Reformatos diſſenſum agnoſcente, de Synodo Vitriacenſi, cui placuit, ut ad pacem Proteſtantium procurandam Antonius Chandæus, vel ſi is hoc officium detrectaret, Johannes Serranus in Germaniam mitteretur, & Salvartus, re cum Philippo Mornæo communicata, literas hujus Synodi nomine atque autoritate ad Germaniæ Principes ac Theologos mitteret,

ret, easque Chandæo in Germaniam perferendas daret; hæc inquam omnia non probant, quod Dallæus inde infert, nempe Lutheranos semper ab omnibus Reformatis pro Fratribus agnitos fuisse, & Carentonensem de admittendis ad sacram mensam Lutheranis sententiam, non Gallicæ Gentis propriam & singularem, sed omnium omnino Reformatorum communem, neque recens natam, sed jam inde a primis majorum temporibus ductam esse. Longe aliud est, nonnullos in Gallia, Anglia, Belgio, Germania aliisque locis Reformatos fraternitatem Lutheranis obtulisse, & nonnullos in Lutherana ecclesia Syncretistas eandem acceptasse, quod haud inficiamur, quamvis ita fraternitatem Lutheranis Reformati obtulerint, ut eorum confessionem nunquam receperint, ut ipsi Reformati in concilio Dordraceno agnoscunt. Aliud vero est, Lutheranos ab omnibus Reformatis pro fratribus agnosci, & Carentonense de Lutheranorum ad cœnam admissione decretum communi omnium Reformatorum sententiæ convenire, quod falsum esse jam superius probatum dedimus.

XLVI. Et si vel maxime universus Reformatæ ecclesiæ cætus decretum hoc Carentonense approbaret, Lutherani tamen id probare non possunt. Sane illi quoque Theologi e nostratibus, qui a pace cum Reformatis ineunda alieni non fuerunt, minime probant, si Lutheranus apud Reformatos S. cœnam capiat. Calixtus enim in præfatione ad Parentis sui G. Calixti tractatum de tolerantia Reformatorum, postquam adduxisset, Anglos sacrorum suorum non ita tenaces esse, ut nostros a communione ecclesiæ suæ Reformatæ arceant, quin potius sine discrimine admittant, quotquot communicandi cum ipsis desiderium exposuerunt, addit, hac re admissorum conscientias graviter vulnerari, vanamque se prodere istiusmodi hominum levitatem, qui usum sacramenti non omni ex parte legitime administrati appetit, & in re tam sacra & seria velut ludos agit. Distinguit deinde inter communionem actualem & virtualem, asserens actualem communionem

Lutheranos cum Reformatis in usu eucharistiæ habere non posse. Qua distinctione etiam Calixtus Pater usus fuerat in responsi ad Ernestum Landgravium appendice altera p. 146. etsi Pufendorfius virtualem communionem inanis commenti titulo traducat.

XLVII. Alterum caput indulgentiæ erga Lutheranos a Carentonensi Synodo exhibitæ consistit in concessione libertatis matrimoniorum cum Reformatis contrahendorum. Erat enim tunc Lugduni Lutheranus quidam e Germania, qui personæ cujusdam Reformatæ amore captus eam sibi copulari desiderabat. Ea igitur de re consulta Synodus Carentonensis Lutheranis hujusmodi, qui ipsorum cætus frequentarunt, suamque erga Reformatos inclinationem non obscure prodiderunt, licentiam conjugia cum Reformatæ communionis fœminis ineundi haud denegandam censuit. Hoc enim laqueo Lutheranos haud difficulter etiam cum secta Calviniana copulari posse facile prævidit. Paulo difficiliorem circa ejusmodi conjugia se præbuit Synodus Middelburgensis A. 1581. congregata. Ea enim Con. 57. vult Ministros eo allaborare, ut ejusmodi matrimonia, si fieri possit, impediantur, & tum demum copulatio fiat, si ejusmodi personæ in suo proposito persistant. Et Nicolaus Vedelius non incelebris ecclesiæ Reformatæ Doctor consilia daturus, qua ratione zelus veræ religionis tanquam nobilissima prudentiæ ecclesiasticæ pars ad posteritatem propagari ab omnibus possit, primo statim loco matrimonia cum hominibus disparis religionis disuadet, & exemplis quibusdam ostendit, quanta commoda in negotio veræ religionis ex fidelium conjugio nascantur, & quanta vicissim mala & pericula ex conjugio cum infidelibus & heterodoxis oriantur. Qua occasione quatuor inprimis incommoda ex conjugiis inter disparis cultus homines contractis resultantia recenset. Primum est, ne orthodoxa pars ab heterodoxa seducatur, sicut Valens Imperator per uxorem Arianam in casses Arianæ hæreseos incidit. Secundum est, quod conjuges hæreticæ, si maritos

ritos ad communionem hæreseos vel solicitare non audeant, vel frustra solicitent, nihilominus tamen falsam religionem eique addictos pro viribus promovere, & veram quantum in ipsis est religionem evertere laborent, quod exemplo Theodoræ Eutychiana hæresi inflatæ, quam Justinianus Imperator in matrimonio habuit, confirmat. Tertium est seductio liberorum inprimis post mortem orthodoxi patris metuenda, quod exemplo Valentiniani Junioris a matre Ariana Justina seducti comprobat. Quartum denique est, quod pars infidelis, ubi maritum vel liberos seduxit, eos ad vexandos orthodoxos impellere soleat, quod itidem exemplis nonnullis ex historia ecclesiastica depromptis confirmat. Concludit ergo Vedelius eos, qui veræ religioni, ecclesiæ posteritati & propriæ saluti prudenter & tuto consulere volunt, orthodoxæ personæ connubium quærere & amplecti, inprimis vero Reges, Principes & Magistratus hac prudentiæ parte defungi debere.

XLVIII. Quamobrem Synodus Carentonensis dubio procul ex Vedelii sententia contra prudentiæ leges peccavit, cum fœminis Reformatæ communionis matrimonia cum Lutheranis permisit. Tanto verò magis videtur hæc Synodus imprudenter egisse, quod sine ulla conditione Lutheranis conjugia cum Reformatis indulserit. Nam cum in tertio indulgentiæ suæ erga Lutheranos puncto non alia conditione Lutheranos ad officium Patrini in Reformata ecclesia præstandum admittunt, quam si eorum Presbyteris sancte spondeant, quod infantes à se susceptos neque directe neque indirecte ad amplectenda Lutherana dogmata solicitare velint, major videbatur necessitas præcavere, ne qui fœminam Reformatæ communionis ducerent, eam simul & liberos ex hoc matrimonio procreatos Lutheranis dogmatibus imbuerent. Uberior enim occasio est uxorem & liberos de religione instruendi, quam infantes è baptismo susceptos, & in Parentum suorum domo versantes. Magna igitur fuit facilitas Synodi Carentonensis, cum Lutheranis sine ulla lege & restrictione con-

jugia cum Reformatis conceſſit. Præſumſit nimirum facilius fore, ut uxores Reformatæ blanditiis ſuis maritos Lutheranos ad Reformatam religionem perducerent, quam ut mariti Lutherani uxores Reformatas à ſua religione averterent, cum inprimis non promiſcue omnibus Lutheranis hanc libertatem permitteret, ſed tantum Lutheranis ad Reformatam eccleſiam pacis & caritatis ſpiritu inclinantibus & cætus Reformatorum frequentantibus.

XLIX. Noſtrates quantum attinet, conjugia cum heterodoxis apud nos non ſimpliciter improbantur, præſertim ſi pars heterodoxa pertinax non ſit, ſed pæne certam converſionis ſuæ futuræ ſpem faciat, orthodoxa autem in fide & religione vera ita fundata ſit, ut ſeductionis periculum abeſſe videatur, & præterea cautio de liberis in orthodoxa religione educandis præſtetur, qua de re Carpzovius in Jurispr. Conſiſtoriali Lib. 2. def. 6. & Gerhardus L. L. de Conj. p. 387. legi poterunt. Interim ejusmodi conjugia Noſtrates non temere concedenda exiſtimant. Unde Roſtochienſes Theologi Anno 1616. quæſiti, ob nicht ſey communis Theologorum orthodoxorum ſententia, die auch in Gottes Wort gegründet/ daß ein rechtgläubiger Chriſt ſich mit Leuten fremder Religion nicht verehlichen ſoll? Reſpondent: Wir halten dafür/ daß nicht nur allein communis Theologorum orthodoxorum ſententia ſey / die auch in GOttes Wort gegründet / daß ein rechtgläubiger Chriſt ſich mit Leuten fremder Religion nicht verehlichen ſoll: ſondern daß in dieſer Meynung auch viel andere ſeyn / unter Calviniſten und Papiſten/ deren Namen wir allhie zu recenſiren unnöthig achten. Conf. Dedeken. Tom. III. p. 173. 174.

L. Conjugia enim hujusmodi cum hominibus alienæ religionis periculo ſeductionis non carent, ut docent divina monita Exod. XXXIV, 16. Deut. VII, 3. 4. Joſ. XXIII, 12. 13. & ſeductorum exempla Gen. VI, 2. Judic. III, 5. 6. 7. 1. Reg. XI, 1. 2. 3. 4. ſq. 1. Reg. XVI, 31. 32. 33. 2. Reg. VIII, 18. 26. 27. Neque ceſſat periculum, ſi pars heterodoxa aliquam converſionis ſuæ

ſpem

ſpem faciat. Spes enim iſta converſionis juxta Dannhauerum Theol. Conſcient. p. 692. Tom. I. ſæpe eſt temeraria decipula, quæ partem alteram pervertit. Quamobrem tutiſſimum eſt & conſultiſſimum à talibus conjugiis abſtinere. Johannes non vult recipi in domum eos, qui veram doctrinam ſecum non afferunt Ep. II Joh. v. 10. quanto minus in thorum recipiendi? Monet Paulus Chriſtianos, ne ſint ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις 2. Cor. VI, 14. quod dictum ad conjugia cum heterodoxis non ineunda haud male Patres quidam applicant. Vult Apoſtolus, ut à ſpecie mali abſtineant Chriſtiani 1. Theſſ. V, 22. magna autem eſt mali ſpecies conjugium cum heterodoxis. Vult Apoſtolus hæreticum hominem vitari Tit. III, 10. unde etiam a conjugio cum hæreticis abſtinendum eſt. Neque quisquam cogitare debet, filium ſuum vel filiam tantas in veræ religionis cognitione radices egiſſe, ut ſine periculo filium filiamve heterodoxæ alicui perſonæ elocare poſſit. Notat Oſiander Cent. 8. ad Concilium Romanum ſub Zacharia habitum cap. 10. noviſſe ſe exempla Virginum, quæ ante nuptias juramento & chirographo affirmarunt, ſe in religione ſincera permanſuras, ſed poſt nuptias à maritis ſeductæ veram religionem abjecerunt. Et quomodo conjuges uno ſpiritu & ore Deum colant & invocabunt, ſi animos eorum diverſa diſtrahat religio? Neque pax & tranquillitas ejusmodi conjugio bene conſtare poteſt. Nec ſolum ipſis conjugibus, ſed etiam ipſorum liberis magna incommoda hinc expectanda veniunt. Eos enim facile ab heterodoxa parte ſeduci poſſe experientia teſtatur. Et quanto dolore orthodoxi alicujus patris, aut orthodoxæ alicujus matris animos affici oportet, ſi ex pacto partem liberorum in vera, partem alteram in falſa religione educari videat! Meretrix illa alienum filium gladio dividi volebat, at ejusmodi parentes proprios liberos ita dividunt, ut partem veræ, partem falſæ religioni conſecrent. Quid dicere poterunt, ſi in extremo die liberi ipſorum dividantur, & pars ad dextram, pars ad ſiniſtram Judicis ſiſtatur? Hæc aliaque plura incommoda facile evitari poſſent, ſi orthodoxi conjugiis he-

terodoxorum abstinerent. Quæ autem pro ejusmodi conjugiis afferri solent, ad ea respondet König. Cas. C. p. 761.

LI. Atque hinc etiam ordinationes quædam ecclesiasticæ ejusmodi conjugia impedire satagunt. Exempli loco, ut alias ordinationes jam taceamus, esse potest constitutio, quæ legitur in ordinatione ecclesiastica Essendiensi, hoc ipso anno vulgata. Verba C. II. ita sese habent: Dieweil auch die Erfahrung bezeuget/daß durch das Heyrathen an widerwärtige Religion viel Streit / Zanck/ gottloses/verrücktes Leben entstehet/ auch offtmals Abfall oder Lauigkeit in der Lehr bey sich selbst / oder die Seinige herkömmet/ und das einmüthige Gebet dadurch verhindert wird/ als wollen wir/daß die Herren Prediger/ so viel an ihnen ist/ ihre Zuhörer so wol in offenen Predigten/ als Privat-Visitationen mit Vorhaltung der wichtigsten und begreiflichsten Argumenten offtmahls nachdrücklich von Verlöbniß- und Heyrathen mit widerwärtiger Religion zugethanen abmahnen / und sie dabey erinnern/ daß sie von ihrer Religion Knechte und Mägde annehmen möchten. Falls die Abmahnung von widerwärtiger Religion heyrathen nicht verfangen wolte/ soll ein solcher vorm Consistorio citiret/und da noch res integra, mit allem Ernst davon abgemahnet/bestraffet/ und zur Beständigkeit erinnert / demselben auch die verlangende Proclamation biß zu näherer Unterredung mit dem Consistorio nicht verstattet werden/es wäre dann/daß die Sache vor dem Consistorio oder Herren Predigern untersuchet/ und befundenen Umständen nach nicht füglich geändert werden könte. Diejenige aber/ so bereits an Widerwärtige geheyrathet/sollen sie mit allem Ernst/ Fleiß und Sanfftmuth ermahnen/beständig bey ihrer Religion zu bleiben/ihre Kinder darinnen in der Zucht und Vermahnung zum HErrn auferziehen/und ihnen Anleitung und Mittel nach Inhalt göttl. Worts zu zeigen/ wie sie das falschgläubige Theil mit Liebe/ Sanfftmuth und Vorhaltung der besten doch einfältigsten Gründen unserer Evangelischen wahren Lehre gewinnen und bekehren mögten. Quid circa hanc constitutionem sacra aliqua Facultas monuerit, & quid circa hæc monita monendum videatur, brevitatis studio nunc omittimus.

LII.

LII. Nolumus etiam Tertulliani, Cypriani, Ambrosii, Hieronymi & aliorum ecclesiæ Patrum contra hæc conjugia sententias repetere. Tantum de conciliis veteris ecclesiæ pauca afferemus. Huc igitur facit canon 16. Concilii Eliberini vel Illibertani: *Hæretici si se transferre noluerint ad ecclesiam Catholicam ne ipsis catholicas puellas, sed neq; Judæis neq; hæreticis dari placuit, eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli &c.* In canone 10. Concilii Laodiceni decernitur, non oportere eos, qui sunt ecclesiæ indiscriminatim suos filios hæreticis matrimonio conjungere. Et in can. 31. ejusdem concilii iterum repetitur, ὅτι οὐ δεῖ πρὸς πάντα αἱρετικὸν ἐπιγαμίας ποιεῖν, quod non oporteat cum omni hæretico nuptias contrahere. In Concilio Chalcedonensi can. 14. statuitur, lectores & Cantores, si uxores ducant, non heterodoxas ducere debere. Additur liberos Christianorum neque hæretico neque Judæo neque gentili jungendos, nisi ejusmodi persona, quæ cum orthodoxa jungi debet, conversionem suam & fidem orthodoxam spondeat. Canon 72. Concilii sexti in Trullo decernit μὴ ἐξεῖναι ὀρθόδοξον ἄνδρα αἱρετικῇ συνάπτεσθαι γυναικὶ, μήτε αἱρετικῷ ἀνδρὶ γυναῖκα ὀρθόδοξον ζεύγνυσθαι, non decere virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neq; orthodoxam mulierem cum viro hæretico copulari. Canon 12. Concilii Carthaginensis tertii præcipit filios vel filias Episcoporum & quorumlibet Clericorum gentilibus vel hæreticis aut schismaticis matrimonio jungi non debere. Concilium Agathense canone 67. conjugia cum heterodoxis itidem improbat, his verbis utens: *non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia & vel filios vel filias illis dare, sed potius accipere, si tamen se profiteantur Christianos esse futuros & catholicos.* Hæc verba concilii Agathensis adducit etiam Gratianus caus. 28. qu. 1. c. *non oportet &c.* Subjungit huic canoni Agathensi Gratianus in seqv. c. *si quis judaicæ &c.* verba Concilii Urbanensis contra connubia cum Judæis. Sed quale nam est illud concilium Urbanense? Baluzius in notis ad Gratianum p. 539. non dubitat, quin pro Urbanensi sit legendum Concilium Arvernense, cum verba

a Gra-

a Gratiano adducta in concilio Arvernensi, & quidem in sexto ejus canone legantur. Intelligi autem hæc debent de Concilio Arvernensi I. quod sub Agapeti pontificatu A. C. 535. celebratum est. Conferatur etiam Concilium Toletanum III. can. 14. Toletanum IV. can. 63. &c.

LIII. Has aliasque ob causas nostrates conjugia cum heterodoxis merito improbant; ideoque dolendum, illis inprimis in locis, ubi Lutheranis variæ sectæ permistæ vivunt, ejusmodi nuptias cum heteredoxis satis impediri non posse. Interim hanc cultus disparitatem inter causas matrimonium dirimentes minime referendam statuimus, cum ne sponsalia quidem ob religionis diversitatem, nisi peculiares circumstantiæ intercedant, dissolvi posse censeamus. Carpz. lib. 2. Jurispr. Consist. d. 7. & 206. Quamobrem Petro Martyri non astipulamur, qui in comment. ad 1. Reg. III. conjugia cum infidelibus & hæreticis personis, nisi pars damnatæ religionis ab ea deficiat, usque adeo illicita esse statuit, ut tales personas, etiamsi matrimonium jam consummatum fuerit, ab hoc vinculo dissolvendas censeat. Qua in sententia ἀμέψηφον habet Zanchium, qui tom. 3. Op. in hexaem. p. 795. conjugia cum infidelibus & hostibus religionis etiam jam contracta nulla esse judicat. Utriusque argumenta discutit & refutat Tarnovius de Conjugio lib. I. c. 46. Notamus autem, quod & Martyr & Zanchius sententiam suam inprimis de infidelibus & crassioribus hæreticis intelligi cupiant. Martyr enim expresse addit, de levioribus dissensionibus nos non plus æquo solicitos esse oportere, & Zanchius de hæreticis Arianis, blasphemis, omnisq; pietatis osoribus loquitur. Forte igitur neuter decretum Carentonense de Lutheranorum ad conjugia cum Reformatis admissione improbasset. Etsi enim gravissimæ sint, quæ Lutheranis cum Reformatis intercedant dissensiones, pleriq; tamen Reformatorum levioribus eas annumerare solent.

LIV. Unde etiam Wilhelmus Zepperus in Legum Mosaicarum forensium explanatione lib. 4. c. 18. p. 476. ad quæstionem delatus: an conjugia in dispari religione sibi constent? inter varias

rias distinctiones & illam profert, quod aut dissensio sit enormis hæretica & idololatrica, ubi de summis religionis capitibus & fundamento fidei dissentitur, qualis est Judæorum, Turcarum, Pontificiorum, Anabaptistarum, Arianorum &c. cum quibus illicita & adulterina conjugia contrahi asserit, aut levis sit in religione dissensio, & talis, cum qua fidei fundamentum & salutis stare potest, *qualis*, inquit, *existimari potest error illorum, qui voluntatem hominis inter conversionis causas recensent, & viribus humanis aliquem hic locum tribuunt, συνουσίαν panis & vini in sacra cœna, absque tamen ubiquitatis commento statuunt, qui de electione æterna salvandorum hallucinantur, quique circa sacramentorum administrationem ritus quosdam e papatu adhuc retinent*, quibus verbis a Zeppero Lutheranorum doctrinam, etsi eam non sincere & fideliter referat, perstringi dubium non est. Similiter & Beza in tract. de repud. & divort. hanc controversiam tractans p. 116. non modo inter infidelem & hæreticum distinguit, sed etiam monet non omnes hæreses ejusdem esse momenti, ideoq; non omnes hæreticos eodem loco habendos. Nolumus aliorum ex Reformatis sententias prolixe adducere, sed breviter dicimus, non leves, sed gravissimos esse doctrinæ, quæ a Reformatis tradi solet, errores, ideoque sine magno salutis suæ periculo Lutheranos cum Reformatis connubia contrahere, & Carentonensis Synodi invitationi obsequi non posse.

LV. Pergimus ad ultimum decreti hujus Carentonensis caput, quo indulgetur Lutheranis infantes Reformatorum e baptismo suscipere, ita tamen, ut apud presbyterium sancte spondeant, nunquam se hujusmodi personas vel directe vel indirecte ad aliquid solicitaturos, quod cum Reformata doctrina non congruat, sed in iis tantũ capitibus instructuros, de quibus Lutheranos inter & Reformatos convenit. Ubi primum aliquis mirari possit, cur Synodus Carento-

nenſis, quæ Lutheranos cum Reformatis in principiis religionis & capitibus fundamentalibus conſentire, & in cultu nulla idololatria & ſuperſtitione laborare aſſerit, ſolicite tamen caveat, ne infantibus Reformatis aliquid Lutheranæ doctrinæ affricetur. Nec minus mirandum eſt, quod Carentonenſis Synodus inter medias blanditias tam iniquam conditionem a Lutheranis exigere voluerit. Videtur enim tantum illudere velle Lutheranis, dum eos ad officium Patrinorum admittit, nec tamen ipſis permittit ea præſtare, quæ ſponſoris officium requirit, dum ejusmodi Lutheranus Presbyterio Reformato promittere tenetur, quod infantem a ſe in baptiſmo ſuſceptum neque directe neq; indirecte de Lutheranis dogmatibus informare velit. Ecquis autem Lutheranus tam iniqua & pietati adverſa conditione Suſceptoris munus in eccleſia Reformata obire geſtiat? Conf. Calovius contra Hoornbeek. p. 123.

LVI. Candidius egerunt aliæ Reformatorum Synodi, quæ Lutheranos ab hoc officio prorſus excluſerunt, ſicut in Middelburgenſi Synodo Miniſtris injungitur, ut Parentes moneant, ne ad liberorum ſuorum baptiſmum teſtes a religione alienos aſciſcant. Communiter enim Reformati docent hæreticos ad hoc officium non eſſe admittendos. Qua in re nonnulli ex Reformatis Noſtratibus ſe rigidiores exhibent. Cum enim Gerhardus LL. CC. de baptiſmo & Prucknerus quæſt. 55. concedant, heterodoxos admitti poſſe, ſi ſanabiles ſint, & ſpes converſionis in iis affulgeat, limitationem hanc nequaquam admittendam eſſe cenſent Saldenus Ot. Theol. libr. 3. exerc. 7. p. 535. & Voetius in Polit. eccleſ. part. 1. libr. 2. p. 707. ubi his inter alia utitur verbis: *quæ ratio ſuadet, ut Parentes aſſumant eos, qui ipſi in via aut vix in via ſunt, & ipſi inſtitutione in fide orthodoxa indigent?* Quæ igitur ratio ſuaſit Synodo Carentonenſi, ut Lutheranos ad officium Patrinorum admitteret, qui juxta ipſos ipſi adhuc inſtitutione in fide orthodoxa indigent, ideoque infan-

fantes a se susceptos in certis fidei articulis instituere prohibentur?

LVII. In promtu autem causa est, cur Synodus Carentonensis Lutheranis oblationem infantum in ecclesiis suis Reformatis permiserit. Nimirum hac indulgentia Lutheranos sibi obstringere voluit, ut tanto promptius ecclesiæ Reformatæ nomen darent. Sicut enim Maresius in fascic. myrrh. p. 477. infantibus Lutheranorum in Reformatis ecclesiis baptismum haud denegandum existimat, quod & parentes infantem suum Reformatæ ecclesiæ offerentes hoc ipso singularem erga Reformatos favorem testentur, & tacite in ipsorum communionem transituri videantur, & infantes memores ecclesiæ, in qua baptizati sunt, eidem ecclesiæ se instituendos tradere tanto minus dubaturi sint: ita eodem ut videtur consilio Lutherani ad officium Patrinorum a Synodo Carentonensi admittuntur, quod tanto faciliores ad Reformatæ ecclesiæ communionem transituri videantur, si hac ratione eidem subinde familiariores reddantur.

LVIII. Etsi autem non simpliciter improbari possit, Lutheranum apud Reformatos Patrini officio defungi, ideoq; Gerhardus in loc. de bapt. p. 269. in hoc casu, si diversæ religionis homines hoc officium a nobis expetant, omnes circumstantias probe attendi piamq; prudentiam adhiberi velit, ne vel nimia facilitate cum adversariis colludere, vel nimia morositate adversarios irritare videamur, qua de re etiã Balduinus in C. C. libr. 2. c. 11. cas. 10. videri potest; ea tamen conditione, quam Carentonensis Synodus requirit, Lutheranus hoc officium in Reformata ecclesia præstare non potest. Protestari ipsum potius decet, quod a Reformatæ ecclesiæ doctrina alienus sit, nec eam hoc actu approbare velit, quam promittere, quod infantem e baptismo susceptum neque directe neque indirecte in Lutherana doctrina informare velit. Nam inter causas, propter quas Theologi quidam Lu-

theranis officium Patrini in Reformata ecclesia permittunt, illa quoque referri solet, quod hac occasione infans post Parentum suorum mortem in vera hoc est Lutherana religione informari possit. Fructus autem illius spe excidit Lutheranus, si spondeat, quod infantem neque directe neq; indirecte de Lutherana doctrina informare velit.

LIX. Quid autem Lutherano Ministro faciendum, si Calvinianus aliquis ad Patrini officium a Parentibus Lutheranis invitetur? Cogitari posset, cum Lutherani ad hoc officium a Synodo Carentonensi admissi fuerint, eandem Reformatis apud Lutheranos gratiam referendam esse. At alia est Theologorum nostratium hac de re sententia. Neque gravissimæ causæ ipsis desunt, cur Calvinianos non minus ac alios hæreticos ab hoc officio in ecclesiis nostris arceant. Cum enim Reformati miserrimum, in quo infantes ante baptismum versantur, statum non agnoscant, vix ab iis expectari poterit, ut infantis ex hac miseria liberationem seriis precibus Deo commendent. Neq; apparet, qua ratione Reformatus infantis loco confessionem fidei nostræ serio edere aut etiam serio spondere possit, quod infantem a se oblatum in Lutherana religione & doctrina informare velit. Dannhauerus noster ad quæstionem, Ob die Reformirten bey der Tauff zur Gevatterschafft zu lassen? negative respondet & repetit responsum, quod jam antea nomine Facultatis Theologicæ Argentinensis Ministerio cuidam evangelico dederat. Laudat autem illud Ministerium, quod Reformatos ad officium Patrinorum admittere noluisset, weil kein gewissenhaffter/rechtschaffener und redlicher Theologus, so viel an ihm ist/ den ungleichen vom Apostel Paulo so hart verbotenen Jochzug befördern/u. durch unvorsichtige tractation der Mittel-Dinge dem Syncretismo Thür und Thor aufthun soll ꝛc. Allegat verba Lutheri ex ejus præfatione auf sein Tauffbüchlein/ut ostendat, quam ardentes preces susceptorum pro infante esse debeant. Tales

au-

autem a Reformatis in fundamento fidei errantibus fundi posse negat. Addit ejusmodi homines interrogatos an ecclesiam nostram ejusq; doctrinam pro vera habeant, vel affirmative vel negative respondere, si affirmative respondeant, hypocritas esse dicit contra conscientiam agentes, si vero negative a Ministro fideli admitti eos non posse asserit. Ulterius ait, Reformatum de regeneratione infantis testari non posse, cum nesciat, an infans sit ex electorum numero, quibus solis regenerationem veram & internum baptismum competere Reformati doceant. Negat etiam Reformatum susceptorem de fide infantis testari posse, cum fidem infantes habere neget, ut alia ejus argumenta taceamus.

LX. Derident etiam Reformati plerasque, quibus Lutherani utuntur in baptismo, cerimonias tanquam fermenti papistici non plene apud nos purgati reliquias. Inprimis vero exorcismum abhorrent. Quapropter idonei non sunt, qui susceptoris personam in Lutherana ecclesia agant, meritoque christiani Parentes, quibus pietas & religio curæ est, ab hujusmodi liberorum suorum susceptoribus sibi cavent. Vitanda enim est non modo omnis cum adversariis religionis nostræ collusio, sed & species collusionis, ne scandalum ecclesiæ præbeamus, ut recte monuit Hunnius in quæst. & resp. Tom. I. Op. 1076. Unde & Hutterus in LL. C.C. maj. p. 675. tales Patrinos eligendos asserit, qui pie & sincere baptizatos instruere valeant, sicut & ipse Lutherus tales Susceptores eligendos monet, qui serio & vera fide rem agunt, ne sacramentum, in quo DEus nobis gratiæ suæ thesauros offert, ludibrio exponatur. Tali autem sinceritate non agere posse Reformatos, si sibi constare nec hypotheses suas retractare velint, ostendit Paulus Tarnovius in disp. alt. de officio Ministr. eccles. p. 43. ubi etiam ipsorum adversariorum testimonio sententiam nostram confirmat, & Cal-

vinum adducit, qui in epistolis suis asseruit, non nisi in religione ἐμύψηφον ad officium Patrini adhiberi posse.

LXI. Recte observat B. Gerhardus de baptismo p. 345. pios & veræ religioni addictos baptismi testes adhibendos esse, ne videamur eorũ, quos invita vimus, heterodoxia delectari, & ut parentes pacatiori conscientia liberos suos ipsis defunctis educandos tradere valeant. Postea quæstiõnem movet: an admittendi sint diversæ & perversæ religionis susceptores? & respondet, pertinaces & insanabiles vel Pontificios vel Sacramentarios ad compaternitatem non esse admittendos, quod undecim rationibus probat, quæ apud ipsum legi possunt. Consentit Gerhardo D. Georgius Könnigius in Cas. Conscientiæ catech. qui inter alia notat, minus fore honorificum & ad minimum collusionis nomine suspectum, si diversæ religionis Patrini eligantur, quod ex Michaelis Mulingii Superintendentis olim Belzicensis Isagoge Christiana pluribus confirmat. D. Casparis Finckii responsum ad quæstionem: an minister ecclesiæ hominem blasphemum, præfractum Papistam, crassum Calvinistam, scortatorem, adulterum, usurarium impœnitentem, ad Christianæ susceptionis sive patrinatus officium salva conscientia admittere possit & debeat? legitur in ejus Disputatione de baptismo Tom. V. Disput. Giess. p. 433. seq. Conferantur etiam nonnulla Witebergensium responsa Tom. II. Consil. Witeberg. p. 115. seqv.

LXII. Ad hunc scopum etiam Agenda ecclesiastica in pluribus ecclesiis collimant. Hinc in Constitutione ecclesiastica Noribergensi edit. 1564. fol. 37. b. Minister ecclesiæ post baptismum hortari tenetur compatres, ut infantem, si ejus parentes mori contingat, fideliter & diligenter in capitibus christianæ religionis informent. Neque hic prætereunda verba der Braunschweigischen/ Lüneburgischen/ Cellischen und Grubenhagischen Kirchen-Ordnung p. 41. edit. 1619. Wir wollen auch / daß die Eltern ihre Seelsorger um die heili-

ge

ge Tauffe zeitlich anlangen/und was sie für Gevattern erwehlen/ihnen anzeigen sollen. Und solches darum/ daß ie billig die Verächter des heiligen Nachtmahls/ Epicurer/tägliche Vollsäuffer/Lästerer/Hurer/und die sonst ein ärgerlich Leben geführet/und mit der Kirchen noch nicht versöhnet seyn/ zu solchem Christlichen Werck nicht zugelassen werden/derowegen denn auch allen und ieglichen unsern Unterthanen/Papistischen/und andern unser wahren Religion widrigen Secten und Meynungen zugethane Personen/Ergerniß/ Unwillen und weitläufftigen Mißverstand mit den Predigern zu vermeiden/zu Gevattern zu bitten bey ernster Straffe verboten seyn soll. In Agendis ecclesiasticis Argentoratensibus edit. 1598. p. 150. Patrinis hæc proponitur inter alias quæstio: Erkennet ihr auch diese unsere Gemeine/und alle/ die sich bey erst erzehlten Articuln des allgemeinen Christlichen Glaubens/ mit warhafftigem Hertzen halten/ für eine wahre Gemein Christi/und diesen unsern Tauff/und das andere Sacrament des HErrn/für den wahren Tauff und wahren Sacramenta Christi? Quid diceret ad hanc quæstionem Reformatus? In iisdem Agendis p. 152. decernitur, monendos esse in publicis concionibus parentes, ne vel impios vel heterodoxos Susceptores eligant. In Viti Dieterici Agenden-Büchlein für die Pfarrer auff dem Lande edit. 1546. lit. L. b. Minister Patrinos ita compellat: Darum wollet mit Fleiß auff euch selbst achtung haben in einem rechten Glauben allhier zu stehen. In Ducis Julii Ordinatione ecclesiastica edit. Helmstad. 1645. lit. I. 3. b. rejiciuntur errores Reformatorum de baptismo. Nec opus est plura cumulare. Satis enim hæc indicant ex praxi nostrarum ecclesiarum orthodoxos tantum Patrinos admitti.

LXIII. Neque tamen excluduntur Reformati aliique heterodoxi, si sint sanabiles & dociles. Certè de Pontificiis in constitutione ecclesiastica Saxonica articulo generali C. X. ita decernitur: Desgleichen weil sich auch zuträgt/ daß etliche Personen/so nach der Zeit der Papisten Aberglauben

in

in vielen Stücken zugethan/wenn sie zur Gevatterschaffe gebeten/daß sie bey der H. Tauffe abgetrieben werden/ dadurch sie so viel desto mehr wider die reine Lehr des heiligen Evangelii verbittert/so dagegen/wann sie zugelassen/vermittelst der Wirckung GOttes des heiligen Geistes/nicht allein ihrer selbst/sondern auch anderer mehr verführten Bekehrung daraus erfolget. Demnach dann die Verordnung der Gevattern nicht ein göttlicher Befehl/ sondern aus guten und erheblichen Ursachen von Menschen verordnet/sollen die Pfarrer und Kirchen-Diener in solchem Fall vernünfftig und vorsichtig handeln/ und nicht bald iemand/ der nicht ein öffentlicher Lästerer GOttes und seines H. Worts/da er gleich in einem oder mehr Artickeln sich noch der Zeit nicht finden könte/von der heiligen Tauff abhalten/sondern sich Christi Spruch erinnern/da er saget: Wer mit uns ist / der ist nicht wider uns/ auff das erstemahl sich an dem genügen lassen/daß solche Person durch ihr Gegenwart mit der That unsere Tauffe für Christlich und recht erkennet. Quemadmodum & Witebergenses Consil. Theol. Tom. II. p. 108. 109. Calvinianos seductos, & neminem seducentes pieque viventes ad officium Patrini admitti posse judicant.

LXIV. Solet hic etiam disquiri, quid faciendum Ministro, si Reformatum aliquem aut alium heterodoxum ad officium Patrini admittere nolit, Magistratus autem sub remotionis pœna tales admitti postulet? Sunt, qui existimant, exilium potius Ministro eligendum, quam tali mandato parendum esse. Sed aliud videtur Dannhauero in Reformatorum Salve p. 590. & seq. Melius enim ecclesiæ consuli judicat, si Ministri in tali necessitatis casu cedant, quam nimio in ejusmodi adiaphoris & ritualibus rigore occasionem introductionis falsorum Doctorum in locum exulantis Ministerii evangelici subministrent. Et Jenenses Theologi 1654. Hassiacis Pastoribus tale consilium suppeditarunt, quod Magistratus humiliter rogandus sit, ne susceptores heterodoxi obtrudantur Lutheranis, si vero nihil

ob-

obtinere queant, & inde immineat periculum eccleſiæ Lutheranæ, ut rejectis ſinceris eccleſiæ Miniſtris heterodoxi ſuccedant, & orthodoxorum jactura metuenda ſit, admitti poſſe Calvinianos ad officium ſuſceptorum. Rationes conſilii erant 1. quia ritus ſuſceptorum libera cerimonia eſt nihil baptiſmo vel tribuens vel adimens. 2. quia fieri poteſt, ut hoc modo heterodoxis occaſio præbeatur propius ad religionem noſtram accedendi. 3. quia per hanc admiſſionem in re adiaphora majus malum declinari poteſt, ne ſcilicet ejectis orthodoxis Miniſtris ipſa doctrina orthodoxa periculum incurrat. Conf. Bechmann. in Caſ. Conſcient. p. 178. Cæterum in compactatis inter Fridericum Archiepiſcopum Bremenſem ab una, & Senatum ac Civitatem Bremenſem ab altera parte Stadæ 1639. initis inter alia etiam mutua Reformatorum apud Lutheranos, & Lutheranorum apud Reformatos ad officium Patrinorum admiſſio approbata fuit his verbis: Damit aber die Lutheriſchen und andere Bürger und Einwohner in vorigen guten Vertrauen erhalten werden / ſo ſollen die Lutheriſchen Thum-Prediger die Bremiſchen und hinwiederum die Bremiſchen Prediger die Lutheriſchen Religions-Verwandten zur Verrichtung des Gevatterſtandes unweigerlich admittiren.

LXV. Quales Patrinos vetera concilia exegerint, & quos ab hoc officio excluſerint, non lubet nunc repetere. Collegit nonnulla Gerh. von Maſtricht in Schediaſmate de Suſceptoribus p. 58. & ſeq. Unicum placet adducere canonem conventus Melodunenſis A. 1579. congregati, qui ita ſe habet: *Abuſus eſt non permittendus, quod multis in locis parentes eligunt filiis ſuis patrinos, ut ab eis aut in paupertate auxilium, aut in mundi rebus favorem potius quam filiorum ſalutem expectent. Admoneantur ergo ſæpius a Parocho, ut tales deinceps eligant, quales & rei magnitudo, & ſu-*

ſcipiendorum filiorum ſalus exigit: ut ſe ſcilicet tales ætate, virtute, & integritate præſtare valeant & velint, quales tanti vadimonii gravitas poſtulat. Equidem Philippus Mullerus im Bericht auff einige Fragen von den Tauff-Pathen p. 21. canonem hunc citat tanquam conditum im Convent zu Meaux, quaſi in Meldenſi conventu canon hic eſſet conditus. Verum non in conventu Meldenſi, ſed Melodunenſi (zu Melun) canon ille ſancitus deprehenditur. Conferatur Ludovicus Odeſpun in conciliis Galliæ noviſſimis p. 92.

LXVI. Hæc de Syncretiſtico Carentonenſis Synodi decreto notare libuit, quod etſi a Gulielmo Riveto, Moſe Amyraldo aliisque doctis viris ſubſcriptum fuerit, a nobis tamen approbari non magis poteſt quam fucata illa concordia, quam eodem anno 1631. alii quidam Reformati in colloquio Lipſienſi propoſuerunt. De quo inſignis Theologus D. Michael Waltherus quid ſentiret in Aula ſua rogatus reſpondit: Es iſt zwar ein neuer Fidel-Bogen/aber die alte Geige/ ut ipſe refert in Centuria miſcellaneorum p. 302. Tali nulla ſalus paci quibuscunque blanditiarum pigmentis incruſtetur. Eam ergo DEUS a noſtris eccleſiis clementiſſime avertat!

Qua-

QVATUOR PROGRAMMATA FESTALIA PUBLICO NOMINE CONSCRIPTA.

PROGRAMMA I.

Contra novos Ecclesiæ Reformatores in Festo Reformationis Lutheri d. 31. Octobris A.C. 1702. propositum.

J. N. J.

Novi se nostris ecclesiis hodie obtrudunt Reformatores, quorum aliqui tantum sibi abblandiuntur, ut vocationem suam in Apocalypsi Solis radiis scriptam somnient, etsi hujusmodi mysteriorum epoptam fieri liceat nemini, nisi qui spiritum his Prophetis familiarem alte penitusque imbiberit. Ut autem habeant quod repurgent ecclesiæ turbatores, cœtum nostrum Lutheranum Papistarum fermento inquinatum, & Antichristi sordibus pollutum clamitant, Sionem nostram Evangelicam alteram Babelem appellant, ejusque faciem tam deformem, tamtetram & aspectu horridam conquisitis undique coloribus effingunt, ut vel pessima quarumvis in orbe sectarum colluvies melior videatur, quin etiam *exeat*, inquiunt, *ecclesia, qui volet esse pius.* Exeant ergo, si ita illis lubet, Pietastri, & cum Rogati ac Vincentii sectatoribus se conjungant, qui se quasi jam in cœlo positos, & apud se solos Christum aliquando in terris fidem inventurum, neminique peccata sua dimitti posse superbe contendebant, nisi latentem in aliquo Mauritaniæ angulo Vincentium inveniret. Nos in media ecclesia infinitam impiorum multitudinem versari cum Apologia Augustanæ nostræ Confessionis lubenter profitemur, nec talem in his terris aream novimus, in qua nullæ tritico paleæ inveniantur admixtæ, vel agrum, in quo nulla cum frumento zizania succrescant. Habuit & Apo-

stoli-

ſtolica eccleſia nævos ſuos, ideoque eos falli minime dubitamus, qui hodiernam ab omni labe immunem ſe præſtare poſſe ſperant. Non DEI verbo ſpes illa meliorum temporum, ſed humanæ phantaſiæ typho nititur. Nos meliora eccleſiæ tempora in cœlis expectamus, ubi gloriosa, nullisque amplius vel maculis aſperſa, vel rugis deformata comparebit. Interim impios, qui ſunt in eccleſia, reformandos eorumq; mores emendandos, & talem reformationem usque ad mundi finem, etiam in illis eccleſiis, quæ incorrupto DEI verbo gaudent, & legitima Sacramentorum adminiſtratione perfruuntur, continuandam eſſe haud inficiamur. At longe alia eſt reformatio, quam Novatores urgent, qui & ipſi, ubicunque illorum libidini omnia permittuntur, ſub prætextu eccleſiæ reformandæ graves turbas concitant, & ad ſocietatem temerariorum moliminum quosvis cujuslibet ſexus & ordinis homines invitant, qua in re egregios ſcilicet anteceſſores habuerunt. Nam & Thomas Münzerus, Lutheri reformatione non contentus, ſublimius aſcendendum jactabat. Nec defuerunt alii Anabaptiſtæ, qui Lutherum ramos quidem Antichriſti amputaſſe, ſtirpem autem aliis eradicandam reliquiſſe blaterarunt. His conſentiens Schwenckfeldius eccleſias Papatu egreſſas nondum recte doceri, & aliam adhuc reformationem reſtare profeſſus eſt. Eandem reformandæ eccleſiæ poteſtatem Quakeri & alii Fanatici ſibi arrogant, ut de Socinianis taceamus, qui ſequentibus verſiculis Socino ſuo in reformationis opere plus quam LUTHERO tribuunt:

Tota ruit Babylon, deſtruxit tecta Lutherus,
Muros Calvinus, ſed fundamenta Socinus.

Horum igitur veſtigiis inſiſtunt male feriati illi Pietaſtri, dum eccleſiam noſtram ipſorum reformatione indigere jactitant, quibus ſi id negotii committere velimus, mirabitur orbis Lutheranus, ſe tam repente factum fanaticum. Cujusmodi enim ſit hominum illorum genius, quæ inſtituta, qui mores, nemini obſcurum eſſe poteſt. Illuſtriſſimus quidam Germaniæ Princeps, Reformatæ religioni addictus, in edicto, quod nuper menſe Septembr. hujus anni 1702. promulgatum eſt, his eos verbis delineat: die Erfahrung leget mehr als gnugſam an den Tag/ daß in unſern Fürſtenthumen und Landen ſich einige Zeit her gewiſſe Leute ſo wol Manns- als Weibes-Perſonen von allerhand

Ständen häuffig eingefunden und hervor gethan / welche unterm vorgewendeten Schein einer sonderbaren Heiligkeit/ als ob sie von GOtt selbst gesalbet seyn/von sich ausgeben/und durch ihre angeblich-Göttliche/ in der That aber *Enthusiastis*che und Schwermerische Gesichter und Offenbarungen/ so sie dem heiligen Wort GOttes gleich achten/ die Vollkommenheit heiliger Göttlicher Schrifft Alten und Neuen Testaments/so dann durch ihre eingebildete Vollkommenheit in diesem Leben die Rechtfertigung durch den Glauben an Christum / und also den Grund des Glaubens und der Seeligkeit nicht allein vergringern und verleugnen/sondern auch dafür halten/dadurch zu einem solchem Stande zu gelangen/ daß sie nicht sündigen können; dadurch aber denen ohne dem häuffig in dem Schwang gehenden Sünden/ Schanden und Lastern noch um so viel desto mehr Thür und Thore auffthun. Wie dann absonderlich höchst-ärgerlich zu vernehmen ist/ daß sothane Leute / wann einige ihres Mittels sich auff eine unchristliche und gantz viehische Weise zusammen thun/ solche verübte Leichtfertigkeit und sündliches Verfahren nicht allein vertheidigen und entschuldigen /sondern auch so gar für gute Wercke anpreisen. Ubrigens aber / indem sie eine innerliche Stimme und himmlisches Zeugniß des lebendigen Worts behaupten/ allen äusserlichen Gottesdienst/nemlichen die Predigten des Wortes GOttes und den Gebrauch der heiligen Sacramenten/als unnöthig verwerffen/sich der öffentlichen Versammlung zum Gottesdienst/nemlich der Predigten des Wortes GOttes / ärgerlicher Weise entziehen / hingegen absonderliche *Conventicula* und verdächtige Winckel-Zusammenkünffte halten/ die ordentlichen Prediger ohne Unterscheid als Prediger eines todten Buchstabens und blinde verführische Leiter ausschreyen/ schmähen und lästern/ das offentliche Lehren aber mit denen so genannten Quackern/ unter dem Vorwand des geistlichen Prie-

ster-

sterthums so wohl Manns- als Weibes-Personen/mit gäntzlicher Auffhebung des Amts der Schlüssel/wenn sie nur ihrem Angeben nach einen innerlichen Beruff haben/ iederman verstatten/ und also die heilige Schrifft nach eines iedweden Gutachten zur Erklärung frey geben. Ferner auch mit denen Widertäuffern und Libertinern eine Freyheit des Gewissens in Kirchen und weltlichen Ordnungen und deren Gebot verachten/und sich daran nicht binden wollen/ und also mit schrifft- und mündlicher Ausbreitung solcher ihrer gefährlichen Irrthümer Trennung in der Kirchen/ auch allerhand Unruhe und Verwirrung/ im gemeinen Wesen anrichten ꝛc. Quid ergo boni ab illis hominibus ecclesiæ sperandum? Pro DEI verbo fumos visionum suarum nobis venditabunt, ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων in meras κενοφωνίας & καινοφωνίας transmutabunt, sacro sanctam doctrinam de justificatione per solam fidem funditus evertent, imaginaria sua perfectione aliisque hujusmodi commentis Papatum, quem in sinu suo fovent, erigent, pro regno gratiæ & gloriæ judaicas nobis Chiliasmi sui, quem crepant, sive crassi sive subtilis, fabulas obtrudent, absolutionem privatam, cujus abrogationem Diabolum ejusque Apostolos moliri Luthérus noster dixit, non amplius ferendam, sed proscribendam & eliminandam decernent, quin etiam ad sacram confessionem accessuros flagello e sacris ædibus expellent, quod haud ita pridem Schwermerum quendam fecisse accepimus; & quid multis? ecclesiam nostram Lutheranam in pessimam Enthusiastarum colluviem deformabunt. Nos quantum a novis illis Reformatoribus abhorremus, tantum immensam Dei bonitatem prædicamus, quæ per Lutheri ministerium ecclesiam ante annos supra seculum octoginta & quinque in vigiliis omnium Sanctorum repurgare cœpit. Cujus beneficii memoriam illa ipsa die, qua felix reformationis auspicium factum est, Octobris ultima, finitis sacris matutinis, publico nomine Vir Juvenis Clarissimus & Pereximius DN. M. ANDREAS RITTERUS, *Lubecensis*, ex umbone templi Paulini celebrabit. Quamobrem Utriusque Reipublicæ Proceres, ut nos prædicto tempore ex sacello templi Nicolaitani comitari, & diserto Oratori, qui *de*

refor-

reformatione ante Lutherum fruſtra tentata verba faciet, vacuam aurium operam locare non graventur, pro eo ac decet officioſe ac humaniter rogamus, ſingulisque viciſſim ſtudia noſtra paratiſſima pollicemur; nec de frequentia Studioſæ Juventutis, ſuam DEO pietatem approbaturæ, dubitamus.

PROGRAMMA II.

De Chriſto omnibus nato contra Reformatos in Feſto Natalis Chriſti A.C. 1702. propoſitum.

J. N. J!

VIx interpres Numinis Angelus gaudium ex Chriſti nativitate natum, idque & magnum & omni populo profuturum paſtoribus primo inſolitæ lucis aſpectu attonitis nunciaverat, cum ſubito cœleſtium exercituum turmæ cœlo ſe effuderunt, Deumque celebrantes & hominibus congratulantes pacem in univerſo terrarum orbe his verbis promulgarunt: δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Et variæ quidem circa hoc cœleſte melos quæſtiones agitari ſolent, num verba ἐν ὑψίστοις ad DEUM tanquam in excelſo habitantem referri debeant, an ad gloriam DEO non ſolum in terra, ſed etiam in cœlis dicendam? num particula καὶ copulandi officio fungatur, an cauſam gloriæ DEO dicendæ innuat, quod Johanni Zonaræ in annotatione ad canonem 74. Concilii Conſtantinopolitani 6. in Trullo habiti *pag.* 187. videtur? num pacis nomine DEI cum hominibus reconciliatio, an pax temporalis, quæ Chriſto naſcente in orbe floruiſſe perhibetur, an, quod Franciſco Gomaro *part.* 1. *Oper p.* 191. magis placuit, per elegantem effecti pro ſua cauſa metonymiam ipſe autor pacis Chriſtus denotetur? num ante verba ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία particula καὶ per ellipſin omiſſa ſubintelligi debeat, an verba iſta ſine particulæ copulativæ interpoſitione cum præcedentibus cohæreant? num legi debeat: ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίᾳ, an omiſſa præpoſitione lectio felicius procedat, quæ Andreæ Oſiandri in annotationibus ad Harmoniam Evangeliſtarum fuit ſententia? num legi debeat εὐδοκία in primo caſu, an εὐδοκίας in ſecundo caſu, an in tertio caſu εὐδοκίᾳ, quod Zegerus ma-

mavult, qui librarios jota subscriptum temere neglexisse suspicatur *in bibl. crit. Anglic. tom. 6. p.* 1186.? num εὐδοκία propensam DEI erga homines, an bonam hominum erga Deum voluntatem significet? num doxologia hæc angelica tribus membris constet, an duobus, an una tantum sit propositio hunc in modum construenda: DEI propensa in homines voluntas est DEO gloria, & pax in terris, i. e. DEI erga homines benevolentia producit DEO in altissimis gloriam, & in terris pacem, quod doctissimi Lightfooti inventū est *in harmonia 4. Evangelistarum p.* 285. & 291. *item in horis Talmudicis ad Lucam tom.* 2. *Oper. p.* 497. ab Antonio Bynæo in tractatu de calceis Hebræorū ante 20. annos edito, & denuo in tractatu de natali Christi *lib.* 1. *c.* 4 approbatum? num verba hæc angelorum sint optantium & desiderantium, an assentientiū & approbantium, quod Hugoni Grotio arridet? Verum cum ista aliaque hujusmodi problemata nunc discutere instituti nostri ratio non patiatur, illud tantum observamus, quod boni sint angeli, qui pacem Christi ad omnem populum, & universum terrarum orbem pertinere sine mentali reservatione & compositis ad fallendum æquivocationibus aliisque verborum præstigiis pronunciant. Tales non sunt Calviniani, quibus, si Christum omnibus hominibus natum dicant, fides adhiberi tuto non potest. Certe non incelebris inter eorum promachos Massonius *in anatomia universali part.* 3. *c.* 9. *pag.* 196. cum suo dialogista ait: Wir gläuben / daß Christus für alle / alle / alle / und also für der gantzen Welt Sünde gestorben sey. Denn die Schrifft redet also 2. Cor. V, 15. Hebr. II, 9. 1. Joh. II, 2. Joh. I, 29. Quis non juraret, Christum his verbis omnium, omnium, omnium hominum redemptorem pro totius mundi peccatis mortuum agnosci? Sed quod una manu dederat Massonius altera statim rapit. Subjicit enim: Wenn aber gefraget wird / wer dieselbigen alle seyn / so antworten wir mit der Schrifft: Es sind alle Gläubige / die hin und wieder in allen Ständen und Völckern in der gantzen Welt zerstreuet sind. Sunt ergo Massonio omnes, omnes, omnes totius mundi homines iidem, qui mortalium paucissimi. Eodem glaucomate usi sunt in Synodo Dordracena *part.* 3. *actor. pag.* 127. Theologi deputati Synodi Geldricæ. Quod enim Christus pro omnibus mortuus fuerit, toto corde se credere profitentur, idque tam disertis verbis Scripturam inculcare asserunt, *ut negare vel in dubium vocare nemo nisi aperte impius possit.* Et tamen paulo post nusquam in Scriptura legi dicunt, quod Christus mortuus sit pro omnibus hominibus, sed tantum pro omnibus. Tum quærunt: qui sunt illi omnes? & respondent, quod sint omnes oves, omnes filii DEI, omnes credentes, omnes Christo obedientes, omnes sanctificati. Quid hoc aliud est, quam negare Christum pro omnibus mortuum, quod neminem nisi aperte impium facere dixerant. Nec dubium est, quin Reformati, ut audire malunt, cum Christum omnibus natum dicunt, vel eandem exerceant histrioniam, & sub nomine omnium non omnes homines, sed omnes electos intelligant, vel simili quodam lusu simplicioribus imponant. Talis lusus est, cum Hypothetici Christum omnibus natum asserunt, si omnes credant, & tamen DEUM non nisi electis fidem dare velle statuunt. Talis lusus est, cum plurimi Reformatorum meritum Christi in carne nostra nati & passi non solum toti mundo, sed pluribus etiam, si forent, mundis in se

 suffi-

sufficere, splendide differunt, interim tamen merito Christi vel nullam quoad reprobos efficaciam tribuunt, vel omnem quoad reprobos efficaciam tantum in externis quibusdam beneficiis fidem & salutem eorum, quibus obtingunt, neque operantibus neque intendentibus collocant. Talis lusus est, cum Johannes Dallæus in apologia pro Synodo Alensonensi & Carentonensi Christum omnibus hominibus datum ex. Scriptura & Patribus contra Cadmæos suos fratres prolixe probat, sed non omnibus ex æquo datum de suo addit, ut alias hujusmodi offucias, quibus Reformatorum nonnulli antiquum quem obtinent errorem involvere satagunt, taceamus. Nulla ergo est inter Calvinianos illos, qui Christum omnibus natum affirmant, & inter illos qui negant, alia differentia, quam quod illi verbis fallant, hi plus candoris habeant, & quod animo sentiunt, ingenue profiteri non erubescant. In posteriorum numero est Johannes Piscator, qui pacem à cœlesti exercitu decantatam sine verborum ambage solis electis vindicat, eumque in finem hymnum angelicum in bibliis suis ita vertit: Ehre sey GOtt in der Höhe/ und Friede auff Erden in den Menschen des Wohlgefallens/ hoc addito scholio: das ist: welche GOtt nach seinem Wohlgefallen erwehlet hat zum ewigen Leben. Cui versioni & glossæ cum Röderus fontes græcos objecisset, in quibus non legitur: ἐν ἀνθρώπος εὐδοκίας, sed ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία; Piscator in apologia bibliorum Herbornensium pag. 135. & seqv. lectionem genitivi prolixe defendere conatur, quam lectionem etiam Pontificios vulgo approbare novimus, partim ne vulgatæ versionis autoritas aliquid detrimenti patiatur, partim ut asserendi liberi arbitrii occasionem captent, unde Emserus sibi temperare non potuit, quin Lutherum accusaret, quod in fraudem doctrinæ de libero arbitrio ultima angelici hymni verba ita reddiderit: den Menschen ein Wohlgefallen/ cum vertere debuerit: den Menschen eines guten Willens. Sed missis Pontificiis audiamus, quid Piscator in gratiam illius lectionis proferat. Primum Bezæ autoritate probat, in nonnullis exemplaribus legi εὐδοκίας. Et Bezæ quidem hæc est annotatio: *Vetustissimus meus codex, itemque Origenes homil. in Luc. 13. & Chrysostomus pluribus locis, ut homil. in Matth. 36. in sermone de ascensione Domini, & homil. de natibit. Domini, & Irenæus lib. 3. c. 31. Vetus denique interpres pro* εὐδοκία *legerunt* εὐδοκίας. Sed hæc omnia nondum evincunt legendum esse εὐδοκίας. Intelligit enim Beza sub nomine vetustissimi sui codicis exemplar illud, quod Cantabrigiensi Academiæ donavit. Quale autem illud sit, ipse Beza in Epistola ad Academiam Cantabrigiensem a Colomesio inter singulares Clarorum Virorum epistolas edita *pag.* 251. his verbis indicat: *admonendos Vos duxi, tantam me in Lucæ præsertim Evangelio repertam esse inter hunc codicem & cæteros quantumvis veteres discrepantiam, ut Vitandæ quorundam offensioni asserbandum potius quam publicandum existimem.* Quis autem corruptum illum codicem aliis antiquis codicibus magna concordia in vulgarem primi casus lectionem consentientibus anteferendum censeat? Apud Irenæum libro 3. c. 11. (non 31) legi *hominibus bonæ Voluntatis* non dissimulamus. Sed græcum Irenæi textum non amplius habemus, nec sine causa veretur Vir clarissimus Johannes Ernestus Grabe in novissima eaque nitidissima Irenæi editione *pag.* 216. ne græcus Irenæi textus habuerit nominativum. Origenis in Lucam homiliæ itidem græce non extant, necdum inter omnes convenit, an illæ Origenem autorem habeant. Verus autem

Orige-

Origenes *tom.* 1. *ad Johannis evangelium pag.* 14. legit: ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, quo in loco Huetius etiam in latina versione deserto vulgato interprete nominativum exprimit. Chrysostomum, si græcum ejus textum consulamus, Bezæ & Piscatori non faventem sed adversantem deprehendimus, quemadmodum etiam Eusebius l. b. 4. demonstrat. evangel. c. 1. Athanasius, Basilius M. Gregorius Nazianzenus & reliqui græci Patres εὐδοκίᾳ in primo casu legunt. Rationes quas pro sua lectione tam in apologia pro bibliis Herbornensibus quam in commentario ad novum testamentum *pag.* 422. cumulat Piscator, exigui sunt momenti. Prima est, quod elegans fiat oppositio in hymno angelico gloriæ & pacis, cœli & terræ, Dei & hominum beneplaciti, quam oppositionem perire putat, si legatur εὐδοκίᾳ, cum nihil sit, quod huic voci opponatur. At elegantiæ hymni nihil decedet, si legatur εὐδοκίᾳ. Optime enim sibi omnia respondent, dum angeli a cœlo quasi in teram descendunt, & in terra peculiariter ad homines progrediuntur, & primum cum gloria DEI in excelsis pacem in terra, ac deinde cum pace in terra εὐδοκίαν in hominibus connectunt. Altera ratio est, quod hymnus angelicus duo membra contineat, & necesse sit, si legatur εὐδοκίᾳ, tria hujus hymni membra constitui. Quid vero tum postea, si tria hujus hymni membra constituantur? Probetur, quod duo tantum membra contineat. Probare id conatur Piscator ratione tertia, quam ex copula ante secundum membrum posita hunc in modum deducit: si tria essent hujus hymni membra, tum vel nulla plane adesset copula, vel duæ adessent, una ante secundum, altera ante tertium membrum posita, vel unica, quæ adest, copula non secundo sed tertio membro præponeretur, quemadmodum in germanica Lutheri versione factum est. Verum haud raro in Scriptura copulam elliptice omitti, Piscatorem latere non potuit. Nihil ergo obest, quo minus copula ante secundum membrum expresse posita etiam ante tertium membrum subintelligatur. Succedit quarta ratio, in eo consistens, quod tautologia futura sit, si εὐδοκίᾳ ἐν ἀνθρώποις peculiare membrum constituat, cum hæc εὐδοκίᾳ cum pace interris plane conveniat. Verum sine tautologia tria hujus doxologiæ membra constitui possunt, cum pax in terra DEI erga homines in Christo benevolentiam antecedat, quemadmodum bellum vindictam in hostes rebelles antecedit. Quinta ratio hinc petita est, quod lectio ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας belle conveniat cum verbis Apostoli dicentis, DEUM Patrem DOMINI nostri JESU Christi prædestinasse nos ad adoptionem in filios per JESUM Christum κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, pro benevolo affectu voluntatis suæ Eph. I, 5. quasi vero lectio ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίᾳ verbis Apostoli repugnaret, aut cum illis minus conveniret. Sextam denique eamque ultimam rationem a veritate doctrinæ cœlestis arcessit Piscator, quod pax cum DEO & conscientiæ tranquillitas non omnibus hominibus, sed tantum electis competat. Verum etsi in terra conscientiæ pace illi tantum perfruantur, qui per fidem justificati sunt, Rom. V, 1. omnibus tamen & singulis hominibus pacem illam Christus acquisivit. Quorquot ob peccatum DEI inimici sunt, per incarnationem & mortem Filii cum DEO reconciliati sunt, Rom. V, 10. DEUS universum mundum sibimetipsi reconciliavit, 2. Cor. V, 19. Misit Pater Filium σωτῆρα τοῦ κόσμου totius mundi Servatorem, 1. Joh. IV, 14. Ita enim DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, Joh. III. 16. Quam late humanum in mundo genus patet, quam late contractum ex Adami lapsu peccati virus natasque inde hominum cum DEO inimicitia se extendit, tam late etiam pax diffunditur,

cujus præcones in nocte Christi natali Angeli fuerunt. Pacem illi non Bethlehemi tantum incolis, nec Judææ tantum, sed universæ terræ nunciant. Nulla est sub cœlo terra, ad quam pax illa non pertineat, nec ullum ullius hominis peccatum tam atrox est, quod Pax nostra, ut Christum Apostolus appellat, Eph. II, 14. non expiaverit. Equidem Henricus Iselburgius in actis Synodi Dordracenæ *part. 2. p. 142.* hanc DEI voluntatem & intentionem ab æterno esse dicit, ut mors Christi omne malum *exceptâ impœnitentiâ permanente & peccato in Spiritum S.* expiandum sufficiat. At Scriptura asserit, gratiam DEI in Christo JESU pacis Principe omni peccato, quantumcunque sit, potentiorem esse. Rom. V, 20. Et quemadmodum nullum peccatum est, quod maledictio legis non feriat: ita etiam nullum nominari potest, quod Christus non expiaverit, quippe qui ex muliere natus totam legis maledictionem nostri causa in se suscepit, Gal. III, 13. & IV, 4. 5. Atque hinc etiam pacem a Christo omnibus partam omnibus DEUS offerri voluit. Certe protevangelium de semine mulieris caput serpentis contriturο non Abeli tantum sed Caino quoque annunciatum fuit, nec Sauli minus quam Davidi pax Messiæ oblata est. Herodes in impietate totaliter induratus erat, attamen hunc etiam ad agnitionem veritatis pervenire & pace Regis recens nati frui serio DEUS voluit, quæ salutaris DEI intentio fructu suo minime caruisset, si Herodes, quod se facturum simulabat, pacis autorem in præsepi reclinatum cum Magis fideliter odorasset. Faciunt Reformati, qui evangelium pacis omnibus offerri negant, & nostras ecclesias contrarium statuentes Huberianismi & Puccianismi arguunt, quod etiam à Johanne Bergio, etiamsi universalem quandam nobiscum gratiam agnoscere videri velit, temere factum est. Frustra obtenditur, ministros quidem omnibus pacem offerre, cum oves ab hœdis distinguere non valeant, DEUM vero, etsi voluntate signi omnes promiscue vocentur, voluntate tamen beneplaciti non hœdorum sed ovium tantum salutem intendere & procurare. Ipse enim DEUS per ministros omnes ad pœnitentiam hortatur, omnibusque fidem exhibet Act. XVII, 30.31. Achasus Rex in malo erat induratissimus, Aulici ejus pessimi hypocritæ, & tamen Esaias Regi ejusque Aulicis salutarem Messiæ nativitatem nunciavit. Num vero id ex errore Prophetæ factum est, hœdos ab ovibus discernere non valentis? Minime gentium. DEUS ipse, qui impiorum morte non delectatur, Prophetam jussit, ut hoc gratiæ signum Regi totaliter indurato & domui Judæ proponeret Es. VII, 10. seq. Idem Propheta ambulantes in tenebris & in umbra mortis sedentes magni luminis exortu illustratum iri prædicit. Quod oraculum impletum fuit, cum infans nobis natus, cum puer ille nobis datus est, qui Princeps pacis audit Es. IX. 2. & seqv. Unde simile illud hœdorum & ovium, quo Chamier *Tom. III. libr. 9. c. 9.* utitur, B. Scharffius in Collegio Anti-Calviniano recte refutavit. Cum autem salutaris DEI gratia in Christo omnibus apparuerit, adversus DEUM pugnant Reformati, qui maximæ hominum parti januam pacis a Christo reseratam occludere haud verentur. Nos bonis angelis fidem adhibentes gaudium ex nativitate Christi natum & pacem in ejus nativitate celebratam ad omnes & singulos homines ex DEI consilio pertinere minime dubitamus. Non temporalis illa pax est, sed spiritualis, tantum temporali nobilior, quantum caducis præstant, quæ æterna sunt. Sane sub Augusti imperio, quo regnante Christus natus est, pacem diuturnam non fuisse, sed belli vicissitudine aliquoties turbatam, ex eo colligere licet, quod tam templum ter ab eo clausum Historiæ referant. Num vero & illo tempore

pore Jani templum clausum & omnia terra marique pacata in imperio Romano-fuerint, quo Princeps pacis spiritualem & æternam pacem afferens e Virginis utero prodiit, in ipso Christi natali hora XII. ex umbone templi Academici Vir Clarissimus & Pereximius *Dn. M. Samuel Rothe*, Elstera-Lusatus, oratione non ineleganti differet. Cujus audiendæ gratia ut Utriusque Reipublicæ Proceres nos comitari, & honorifica sua præsentia panegyrin hanc splendidiorem reddere dignentur, ea qua par est humanitate rogamus, Studiosæ quoque Juventutis frequentiam, quam ipsa diei solennitas exigit, nobis pollicentes.

PROGRAMMA III.

quo Dannhauerus a chiliasmi suspicione vindicatur in Festo Paschali

A. C. 1703. P. P.

I. N. J.

Quamvis ea sit Chiliasmi sive crassioris sive subtilioris facies, ut quocunque minio pingatur, quacunque cerussa obducatur, tetra ejus deformitas mentibus per DEI verbū illustratis statim appareat, vix tamen quisquam in fanatica novellorū Prophetarum cohorte reperietur, qui Judaicam illam fabulam non depereat. Capti his deliciis fuerunt Augustinus VVeberus pellio Augustanus, qui aliis suæ urbis opificibus persvasit, se a Deo Regem terræ constitutum & per mille annos regnaturum, Johannes Leidensis Sartor, qui itidem spiritu vertiginis inflatus sub prætextu regni Israelitici restituendi regnum affectavit, Johannes Fette, quem Urbanus Regius in disputatione de restitutione regni Israelitici contra insanos Circumcelliones &. Chiliastas Monasterienses scripta nebulonis mente corrupti elogio exornat, Bernhardus Knipperdollingius, aliique Anabaptistæ, ut Paracelsum, Schvvenckfeldium, VVeigelium, Fratres Roseæ Crucis, Franciscum Puccium, Ægidium, Gutmannum, Davidem Georgium, Quirinum Culmannum, Christianum Hoburgium, Quakeros, Methistas, Labadistas, Boehmistas, pluresque alios ejus furfuris Enthusiastas, quorum labra lactucas chiliasticas appetivere, taceamus. Nec defuere inter Neo-Arianos & Socinianos suavibus istis Chiliasmi deliriis infatuati, ut patet ex Johannis Erasmi scripto contra Thyræum, & Anonymi cujusdam Sociniani scripto Polonico de Christi regno in terris, quod ipse Socinus confutavit. Atque hinc etiam idem Socinus in epistolā ad Synodum Chmielnicensem hunc millennii errorem, quem suorum pietatis alioqui, ut loquitur, studiosissimorum animis firmiter impressum dolebat, dispellere satagit, ac inter alia Urbani Regii nostratis opusculum de regno Christi paulo ante a nobis memoratum, quippe labefactandis & convellendis his deliramentis perquam utile, serio commendat, ideoque in prædicta Synodo accurate legi vehementer & enixe rogat. Quæ Socini epistola cum ejusdem tractatu contra Chiliastas verbotenus fere convenit. Qualem Chiliasmum inter Arminianos Stephanus Curcellæus improbaverit, qualem approbaverit, ex ea, quam adornavit, institutione religionis Christianæ. *lib.* 5. *c.* 23. videri poterit. Philippus autem Limborchius *lib.* 3. *Theol.*

Theol. Christ. c. 25. crassioribus Chiliastarum sententiis rejectis circa subtiliores ἐπέχειν, quam certi aliquid in alterutram partem determinare mavult, & Clericus *in annot. ad Apoc. XX.* Chiliastarum quidem sententiam sibi non probari asserit, levem tamen illorum errorem, nec invisо hæreseos nomine traducendum satis leviter judicat. Papistas quantum attinet, non cogitandum est, vix evenire posse, ut eorum aliquis Chiliastarum partibus accedat, cum Chiliastæ a Damaso Romanæ ecclesiæ Episcopo pridem damnati referantur. Nam neque illa Millenariorum damnatio, quæ a Damaso facta vulgo perhibetur, certis & probatæ fidei tabulis demonstrari potest, neque tanta est Pontificiorum erga veteres Romanæ Ecclesiæ Episcopos reverentia, ut ab eorum placitis dissentire nunquam audeant. Certe tali Damasi decreto, si unquam tale fuit, non obstante Johannes Chemensis in onere ecclesiæ, nonnulli alii Chiliasticis glandibus lectores suos pascere non verentur, quibus etiam non pauci inter Reformatos Doctores delectantur, unde celebertimus ecclesiæ nostræ Theologus Dannhauerus ad phantasmata Hodomoriæ Calvinianæ etiam Chiliasmum retulit. Equidem & ipse Dannhauerus, *in Hodosophia sua Christiana p.* 1445. *notæ editionis*, de resurrectione in extremo die futura agens, hanc glossam margini adjecit: *excipiendi*, (ab universali resurrectione) *si qui ante diem extremum singulari gratia rebixerunt. e.g. Moses & forte illi, de quibus dictum est* ἔζησαν *Apoc. XX*, 4. quibus verbis resurrectionem illam, quam Chiliastæ mille ante judicium extremum annis futuram fingunt, & ex loco illo apocalyptico probare contendunt, asseruisse, adeoque ab isto, quod in Calvinianis damnavit, phantasmate haud plane abhorruisse videri possit. Verum, etsi in Lutheriana quoque ecclesia, quod dicere pudet, & nostra & Patrum nostrorum ætate Papianistæ nonnulli surrexerint, absit tamen, ut ignibus illis fatuis magnum hoc ecclesiæ lumen accensеamus. Mirabatur Salmasius in epistola ad Isaacum Vossium, quod vir doctissimus Freinshemius ab iis, quos hactenus tractaverat, Scriptoribus digressus vaticinari de Christi regno ejusque adventu cœpisset. At longe magis mirandum esset, si Dannhauerus hoc Chiliastarum somnio se dementari permisisset; quod in scriptis suis adhibita Sacræ Scripturæ luce toties dispellit. Sane in Hodomoria Calviniana Alstedii & quorundam aliorum Calvinianorum sententiam de resurrectione martyrum ante universalem resurrectionem futura non sine elencho dimittit, cum Sacra Scriptura etiam martyrum resurrectionem ad novissimum diem restringat, & ex adversariorum sententia varia absurda consequantur, & Satanas figmento illo Chiliastarum ad diruendam spem resurrectionis abutatur, ut nihil in religione certum & fixum relinquatur. Idem in Christeide famosum illum millennii Apostolum Papiam intestabilem seculi sui fabulatorem appellat *p.* 232. & Piscatorem & Bisterfeldium reprehendit, quod ille *in obs.* 1. & 2. *ad Apoc. XX.* hic *in mysterio pietatis contra Crellium p.* 89. Chiliasmum in ecclesia communiter damnatum revocatum iverint. Idem in Christosophia sua *pag.* 355. Chiliastarum deliria a D. Gerhardo commemorari & refelli scribit, & circa locum apocalypticum observat, quod ibi non legatur ἀνέζησαν *rebixerunt*, sed ἔζησαν *bixerunt*, ideoque nihil aliud in loco illo dicatur, quam quod animæ martyrum, his mille annis, quibus ecclesia inducias egit, cum Christo in cœlis vixerint, etsi non his solum mille annis, verum in secula seculorum cum Christo vivant. Addit denique, Chiliastarum somnia facile prodi, si locus ille apocalypticus ad analogiam fidei reducatur & paulo post fundamenta Chiliasmi prostrata jacere asserit. In Collegio suo Decalogico *pag.* 287. scribit, fertilem in hoc sepulcrorum orbe apparuisse divinationum segetem, & plerarumque finem esse Chiliasmum,

mum, quem ex septem partibus constare asserit Alstedius, nempe resurrectione Martyrum & eorum regno in his terris, incremento ecclesiæ per conversionem Judæorum & gentilium, liberatione ecclesiæ a persecutione hostium per illorum deletionem, pace ipsius diuturna, reformatione doctrinæ & vitæ, majestate ecclesiæ, & gaudio denique sincero. Verum Prophetastros illos non audiendos esse Dannhauerus pronunciat, cum huic divinationum effluvio Apostolus cataractam posuerit, dum analogiam fidei exigit, a qua Chiliastas longissime aberrare judicat. Nec raro in homiliis suis ad populum habitis Chiliasmum magnus ille Theologus perstringit. In Epistolographia sua *pag.* 791. Chiliastas cum phantastis conjungit. In Hagiologio *pag.* 33. hæc ejus verba occurrunt: Ein solcher falscher König ist auch Rex Chiliasticus, der heutige Rosen-König/ welchen der Butz den Leuten einbildet/ als einen künfftigen Freuden-König und Stiffter des aurei seculi, der güldenen Zeit/ da wir alle in den Rosen sitzen werden; dergleichen ihnen auch aus den Calviniſten Piscator und Bisterfeld träumen lassen. Und wo zielen sie mit ihrem Syncretismo anders hin/ als ad aureum seculum, nach der güldenen Zeit? In parte quinta Lactis Catechetici *pag.* 1350. his verbis utitur: Das ists/ was wir im Nicenischen Symbolo gläuben (*cujus regni non erit finis*) und sind diese Worte nicht vergebens angehängt / sondern den Chiliasten entgegen gesetzt / welcher Schwarm auch zu diesen letzten Zeiten in Calvini Schule sich herfür gethan. Piscator, Massonius, Alstedius, Bisterfeldius lassen ihnen träumen von einer güldenen tausendjährigen Glück-Zeit/ in welcher die heiligen Märtyrer aufferstehen/ und mit Christo auff Erden herrschen und regieren werden/ die Kirche durch Bekehrung der Jüden und Heyden vermehret/ die Feinde derselben ausgetilget/ worauff allererst die Völcker Gog und Magog heraus brechen/ und der Jüngste Tag erfolgen solle. Aber die gläubigen Bekenner zu Nicæa wissen von keinem solchem Reiche Christi. In parte sexta *pag.* 553. de resurrectione agens ait: Erstlich werden die Schlaffenden herfür kommen allzumahl/ nicht die halben/ die Märtyrer allein/ die tausend Jahr mit Christo in dieser Welt triumphiren/ regieren und herrschen sollen/ wie den alten und neuen Chiliasten geträumet / &c. In parte septi-

ſeptima *pag.* 125. ſecundam orationis dominicæ petitionem explicans, quale regnum ſit, cujus adventum rogamus, Chiliaſtarum regnum ante omnia removet, his verbis utens: Der jenige Schatz/ darum ein andächtiger Beter ſeinen Vater im Himmel anſpricht/ iſt βασιλεία ein Königreich. Und zwar kein gedichtes/ ideal und Sinn-Reich/ ſo da bloß in den Gedancken und Einbildungen ſchwebet/ wie Thomæ Mori Utopia, Nirgend-Reich/ oder der Chiliaſten und Phantaſten Traum-Reich/ ein Schloß/ welches ſie in die Lufft hinauff gebauet. Iſt ein Aberglaube/ der ſich ſchreibet aus dem Judenthum von den Judenzenden falſchen Apoſteln/ Cerintho und ſeines gleichen/ die von einem tauſendjährigen Welt-Reich gefabelt/ von einer güldenen und mit Edelgeſteinen gezierten Stadt Jeruſalem/ von neuen auffgerichteten Jüdiſchen Opffer-Dienſt/ von fleiſchlichen Wollüſten/ welche iederman erlaubet ſeyn/ tauſend Jahr lang; denen gefolget unter den Chriſten der alte Fabelhans und Lügenſchmid Papias, der ὡς ἐκ παραδόσεως ἀγράφε ausgegeben/ von 1000. Jahren/ da die H. Märtyrer von Todten auffſtehen/ auff Erden in allen/ wiewohl nicht fleiſchlichen/ ſündlichen/ doch ſonſt unſündlichen Wollüſten/ in geiſtlichen himmliſchen Freuden-Leben/ alles vollauff haben und guter Tag pflegen werden. Utrumque & Cerinthi & Papiæ Chiliaſmum, quorum ille carnales, hic ſpirituales delicias promittit, Dannhauerus ibi fabulas & phantaſtica ſomnia eſſe judicat, quibus opponit confeſſionem ab ipſo Chriſto coram Pilato editam, & dicta illa, quæ etiam ſanctos in noviſſima die excitandos aſſerunt, Joh. VI, 39. 44. 54. Joh. XI, 24. item dictum Apoſtoli de totali Antichriſti excidio ante ultimum Chriſti adventum non ſperando, 2. Theſſ. II, 8. & de reſurrectione etiam martyrum ante noviſſimum diem non expectanda 1. Theſſ. IV, 15. Urget etiam varia abſurda, quæ Chiliaſmi fabula poſt ſe trahit, daß nemlich dieſe Märtyrer ſollen aus dem

aller-

allerseligsten Stand in diese Welt gesetzet werden/ die allbereit schon viel hundert Jahr in der Ruh gewest/voll und truncken von himmlischer Freud/ die nach diesem Leben nicht mehr verlangen/ und denen tausend Jahr wie ein eintziger Tag/ deren Leiber in der Ruh/die sollen wieder aus der Ruh in die Unruh/ aus dem Freudensaal in das Jammerthal versetzet werden. Addit insuper hanc Chiliasmi fabulam ab Augustana Confessione jure meritoque damnari, de qua verba ejus ita habent: Darum denn auch unsere Augsp. Confession diesen Irrthum starck und deutlich verworffen Art. 17. Et tandem ita concludit: Hinweg mit dieser Fabel. Similia tradit in parte octava lactis catechetici *p.* * *43.* ubi fundamenta, quibus Chiliasmus superstructus est, his delineat verbis: Der Chiliasten Bau stehet auf lauter Sande/auf etliche Apostolische Traditionen/ darauf sich Papias, so der erste Verführer deren unter den Kirchen-Vätern gewest/ beruffen; auf der Sibyllen Weissagung darauf sich Lactantius gezogen; auf der Poeten Carmina, auf welche andere gesehen; auf sonderbahre Offenbahrungen/ Eingebungen/ göttl. Beruff; auf Träume/Gesichte/himmlische Apparentzen; auf etliche Apocalyptische Zahlen / die sie doch jämmerlich durch einander trianguliren/quadrandiren/drehen/dähnen / zerren/ einer so/ der ander so/ohne einige beständige Gewißheit; auf narrichte Allegorien nichtige Consequentzen/so mit einander anders nichts seyn/als Sandsäulen und höltzerne Falleysen/wie aus ihren Schrifften offenbar. Welch Christlich Hertz will aber hierauf seinen Glauben bauen und gründen / weil ie die wider die Schrifft ungewiß Poetische Gedicht betrüglich / nichtig/ und mit einem Wort/ein recht Fabelwerck/wie es Hyeronimus nennet.

Absit igitur a clarissimo hoc Lutheranæ Sionis sidere Chiliastici erroris deliquium, a quo quam alienus fuerit Theologus optimus, ex dictis abunde liquet. Quamobrem etiam haud desunt, qui glossam illam marginalem superius adductam in nova Hodosophiæ editione inscio Autore ab alio intrusam fuisse suspicantur. Certe cum sæpius in scriptis suis de resurrectione mortuorum ὁ Μακαρίτης agat, tantum abest, ut

usquam eos, qui Apoc. XX, 4. vixisse dicuntur, ab universali resurrectione excipiat, ut potius iteratis vicibus talem martyrum resurrectionem ante diem extremum expectandam esse diserte contra Chiliastas neget, & hanc resurrectionem Sacræ Scripturæ & fidei analogiæ evidenter adversari profiteatur. Et quomodo ex verbo ἔζησαν in illo loco resurrectionem aliquam martyrum inferre potuisset, cum alibi contra resurrectionem martyrum, qualem ex hoc loco Chiliastæ inferunt, hoc ipsum vocabulum urgeat, observans ἔζησαν legi non ἀνέζησαν? Unde haud difficulter colligere licebit, glossam illam marginalem vel esse Magno huic Theologo suppositam, vel saltem omissis mutatisve aliquot verbis Typographi incuria corruptam. Aliena enim est a Dannhaueri stylo, qui etsi alicubi 24. Seniores Apoc. IV, 4. repræsentatos simul cum Christo resurrexisse statuat, nullibi tamen eos, qui Apoc. XX, 4. vixisse dicuntur, ab universali resurrectione excepisse deprehenditur. Esto autem hæc verba ab ipsa Dannhaueri mente & manu profecta esse, quid inde lucrabuntur Chiliastæ? Nihil certe magis, quam ex singulis seculis aliquos martyrum, aliorumve piorum hominum non tamen ad temporale aliquod regnum, sed ad æternam gloriam resuscitari credidit. Verum hæc aliis dijudicanda jam relinquimus, certi B. Dannhauerum usque ad extrema vitæ Chiliastarum odio fuisse impletum, & geminam illam, quæ a Millenariis fingitur resurrectionem nunquam credidisse. Plura contra duplicem illam resurrectionem in ipso Festo Resurrectionis Dominicæ hora 12. pomeridiana ex cathedra templi Paulini Juvenis Præcellens & Clarissimus DN. M. NICOLAUS LUTKENS Hamburgensis, Theologiæ Candidatus Pereximius erudita oratione differet, cui audiendæ ut utriusque Reipublicæ Proceres & Cives Academiæ nostræ cum florentissimo Juventutis Studiosæ cœtu frequentes intersint, & ipsa Festi solennitas exigit, & nos ea qua par est humanitate rogamus, ac ut hoc favoris documentum studiis nostris vicissim redostire valeamus, annitemur.

PROGRAMMA IV.

de Novellis Prophetis in Festo Pentecostali A. C. 1703. P. P.

I. N. J.

NOtas ecclesiæ enumerans Bellarminus duodecimo loco donum luminis Prophetici quippe à Joele ecclesiæ promissum collocat, idque ecclesiæ Romanæ competere, Agabi, Gregorii Thaumaturgi, Antonii, Johannis Abbatis, S. Benedicti, S. Bernhardi & S. Francisci exemplis probare contendit. Verum infidelibus etiam & hære-

hæreticis ſolenne eſt prophetias jactare. Gloriati ſunt oraculis ſuis & fatidicis vatibus gentiles. Judæi ſequioris ævi, qui à Prophetarum doctrina pridem defecerunt, lumen tamen propheticum in Synagoga ſua nondum defeciſſe nugantur. Autorem religionis ſuæ Prophetam venditant Muhamedani. Chiliaſtarum Patriarcha Cerinthus revelationes quasdam ſcripſit, quas ab Angelo ſe accepiſſe commentus eſt, in quibus de millennio ſuo multa ſomniavit. Deluſit homines falſa prophetici luminis opinione Montanus, ipſe cum Prophetiſſis ſuis Priſca & Maximilla à Diabolo deluſus. Divinas apparitiones & reſponſa cœlitus accepta majoris autoritatis ſibi conciliandæ gratia magnus ille eccleſiæ turbo Donatus præ ſe tulit. Quam ferax novellarum Prophetarum fuerit deteſtanda Anabaptiſtarum colluvies, dici vix poteſt. Sed atrum non album fuiſſe ſpiritum, qui Münzerum aliosque iſtius furfuris Prophetas agitavit, horrenda ruſtici belli tragœdia docuit. Fuit in Galli Fano oppido Helvetiorum pagis confœderato eidem ſectæ addictus Thomas Schuckerus, qui conferta id genus hominum concione aliquando coacta inſpirationem cœleſtem mentitus à fratre ſuo Leonhardo, ut in genua procumberet, poſtulavit, gladiumque petiit. Rogatus à Parentibus aliisque adſtantibus, quid iſto apparatu ſibi vellet, bono eos animo eſſe juſſit, conteſtans nihil ſe facturum, niſi quod à Patre cœleſti ſibi revelatum foret. Omnium vero oculis animisque ad novum ſpectaculum erectis Propheta ille ſtricto enſe fratris ſui caput uno ictu à corpore revulſit, magnumque adſtantibus terrorem incuſſit. Cujus horrendi facinoris cauſa à Magiſtratu comprehenſus condignas ſceleris ſui pœnas dedit, nulla tamen commiſſi flagitii pœnitentia ductus, ſed in ipſo ferali pegmate hanc Dei voluntatem ſibi cœlitus revelatam fuiſſe profeſſus, ut Spanhemius in diatribe hiſtorica de origine, progreſſu, ſectis & nominibus Anabaptiſtarum p. 204. poſt alios memoriæ prodiit, qui A. C. 1527. tragicum illum caſum accidiſſe memorat, quem alii rectius ad A. C. 1526. retulerunt. Hermannus quidam, cum prius Prophetæ officium affectaſſet, poſtea Meſſiæ, & tandem Dei Patris perſonam geſſit, adeſſe ſe affirmans, ut omnes ſibi credentes ſervaret. Idem vociferatus eſt: *occidite, occidite Sacerdotes & Monachos omnes, occidite & Magiſtratus totius mundi, en adeſt libertas veſtra.* Quæ cum effutiret, acceſſit alius, qui ſe pro mediatore venditabat, *ô Pater*, inquiens, *miſerere populi, miſerere, ignoſce, veniam indulge.* Tum ille huic cantharum cereviſiæ propinavit,

pinavit, & blaſpheme dixit: *Bibe & hauri Spiritum Sanctum*, ut ex Ubbonis Emmii hiſtoria rerum Friſicarum repetit Johannes Lætus in compendio hiſtoriæ univerſalis p. 341. ubi etiam ex Bullingeri tractatu adverſus Anabaptiſtas refert, Amſtelodami ſeptem Prophetas & quinque Prophetiſſas ſine veſtibus interdiu per vicum ſalinarium cucuriſſe, vociferantes: *Væ, væ, væ, divina vindicta, divina vindicta.* Et quamvis captis veſtimenta injicerentur, ea tamen rejiciebant, veritatem nudam incedere debere prætexentes. Henochi loco ſe haberi voluit Johannes quidam Matthias, inter Monaſterienſes Prophetas non ignobilis, qui repudiata vetula uxore juvenculam duxit, communionem bonorum edicto ſancivit, aliisque rebus impie geſtis, quo ſpiritu ageretur, abunde prodidit. Johannes Leidenſis in obſidione Monaſterienſi muro conſcenſo veſtibus ſeſe exuit, nudusque per civitatem currens, clamavit: *venit Rex Sion*, & convenientes poſt triduum ad audiendam voluntatem Patris cœleſtis reverti juſſit. Tum domi ſe continens nullum verbum protulit, ac triduo exacto ad congregatos progreſſus nullam vocem emiſit, ſed in charta 12. viros ſcripſit, qui juſſu Patris cœleſtis ſummæ rerum præeſſent, & Polygamiam quoque imperavit, ut alia luminis prophetici, quod in Johanne iſto Leidenſi & aliis Anabaptiſtis effulſit, ſpecimina taceamus, de quibus Ottius in annalibus Anabaptiſticis, Heresbachius in hiſtoria factionis Monaſterienſis, Lambertus Hortenſius Montfortius in libro tumultuum Anabaptiſtarum aliique Scriptores videri poterunt. Ad Reformatos male ſic dictos ſi progrediamur, inter illos quoque Prophetaſtri nonnulli ſurrexerunt, Drabitius, Cotterius, alii. Sed non deſunt inter ipſos Reformatos, quibus ſuſpectæ ſunt illæ prophetiæ. Certe Witſio in miſcellaneis, quibus prolixa ejus de prophetia diſſertatio inſerta eſt, non placet, quod in revelationibus Drabitii, revelat. 101. Chriſtus ad Drabitium loquens hunc Prophetam Paulo aliisque Apoſtolis prætulerit, quaſi ab Apoſtolorum ſuorum exceſſu cum nemine quam cum novello illo Propheta tam ſuaviter deliciatus fuerit, & Paulo quidem pauca arcana detexerit, nec ulla aliter, quam ſub parabola, ſed cum Drabitio longe apertius loquatur. Nec magis audiendi qui Lutherana eccleſia egreſſi ſunt Prophetæ fanatici, quantumcunque ſuis viſionibus, raptibus, ſomniis, & illuminationibus aliis iſta gloriæ animalia inturgeſcant. Quis enim cordatus illorum deliria à prophetico ſpiritu orta cenſeat, ſive cum Krazenſteinio, cœleſtis oraculi prætextu,

pro-

propria Conjuge repudiata alienam appetiverint, sive spiritu dictante Chiliasmum asserverint, novam ecclesiæ reformationem parturiverint, tempus extremæ diei aliosque fatales terminos prædixerint, aliasque turbas prætensa prophetandi libertate in ecclesia excitaverint? Sed ad Romanæ ecclesiæ Prophetas à Bellarmino jactatos redeamus, e quibus si excipiamus, qui ad nullam ecclesiam minus quam ad Romanam spectant, pauci admodum reliqui manebunt, & de his quoque, quod Prophetiæ lumine inspirati fuerint, certis & indubitatis documentis probare Cardinalis non potuit. Quamvis ergo ipsum quoque Bellarminum prophetiæ spiritu non caruisse, eoque irradiatum multa prædixisse memoret Andreas du Saussay, in continuatione libri de Scriptoribus ecclesiasticis à Bellarmino editi p. 183 nondum tamen Bellarmino credimus, cum Romanæ suæ ecclesiæ lumen propheticum vindicat, donec firmioribus argumentis id probaverit. Certe ipsi Papistæ passim Prophetas suæ ecclesiæ vel phantasiæ suæ, vel diaboli præstigiis delusos haud diffitentur. Bartholomæus Sibylla in Speculo peregrinarum quæstionum decad. 1. c. 8. q. 6. p. 133. quæstionem movet: an prophetiæ & revelationes vaticinantium & quandoque raptarum mulierum, e. g. Brigittæ, Catharinæ de Senis & similium haberi debeant pro indubitanter veris, & prædicari tanquam à Spiritu Sancto editæ? & respondet simpliciter, quod neque pro indubitanter veris haberi debeant, nec prædicari tanquam à Spiritu Sancto editæ. Id probat variis rationibus, & inter alia dicit, quod nihil prohibeat eas fuisse illusas, cum non sine culpa ea facere præsumserint, quæ ad eas non pertinuerunt, quod potuerit eas fallere phantasia nimis fatigata, quod in earum libris occurrant nonnulla veritati dissona & minus sapida, quod denique illarum prophetiæ supervacaneæ videantur, eum ex sacris Scripturis & sanctis doctoribus habeatur, quicquid saluti est necessarium; qua in re Sibyllam Henricum de Assia præeuntem habuit. Jordanum in visionibus suis quandoque delusum fuisse, agnoscit in disquisitionibus suis magicis Delrio. Refert Bzovius annalium ecclesiasticorum à Baronio cœptorum continuator ad A. C. 1201. n. 10. Gertrudem fœminam religiosam multo tempore, cum minus circumspecta fuerit, pro Angelo lucis Angelum tenebrarum suscepisse. Solebat enim diabolus phantastica circumfusus claritate per quandam fenestram ad illam intrare, futura prædicere, & de interrogatis instruere. Ergo ad eam si aliquis venisset, volens cognoscere statum amici sui defuncti, sive alterius alicujus rei certitudinem, illa inducias usque in crastinum petebat, deinde Angelum suum consulebat, à quo sæpius decepta falsa pro veris respondebat. Devotum fœmineum sexum plerumque phantasias suas pro revelationibus accipere, imo specie revelationum pernicioſa quandoque dogmata obtrudere, judicat Raymundus

naudus in heteroclitis spiritualibus p. 70. idque confirmat exemplo cujusdam mulieris, quæ prætensis revelationibus multos dementavit, & Lugdunum ad Episcopi tribunal tracta asseruit, missam se à Deo ad redimendas ex inferno innumeras animas, & quotidie ternas ad minimum auxilio suo ex inferno erui. Quæ cum Jesuita recitasset, narrationem suam hoc epiphonemate concludit: *I nunc, & muliebris cerebri abortiones pro revelationibus vendita.* Idem Raynaudus in tractatu de sobria frequentatione mulierum per sacros homines p. 236. observat, non quævis pietatis specimina esse idonea divini spiritus argumenta, ubi etiam Gulielmi Postelli vertiginem perstringit, qui ab Angelo, & ipso Christo, & Spiritu Sancto verba abscondita sibi insusurrari jactavit, nec animadvertit verba illa à spiritu erroris profecta, qui debilibus ingeniis nec in rem suam satis intentis imponere consvevit. Paulo post p. 239. Franciscum à Cruce, Doctorem Theologum, & Theologiæ Professorem, pro pio diu habitum, in Peruvia à muliercula quadam fanatica deceptum ex Josepho Acosta narrat. Cum enim illa Pseudo-Prophetissa velut altera Apellis Philumena, vel Montani Maximilla magna se mysteria ab Angelo edoceri jactaret, & nonnunquam extra se raperetur, sive raptus illos, ut nonnullis visum, callide simulaverit, sive à diabolo, quod alii probabilius censuerunt, correpta fuerit, prædictus Theologus usque adeo se infatuari passus est, ut de gravissimis quæstionibus mulierem illam consuleret, ejus responsa pro divinis oraculis haberet, ac tandem ipse quoque Angelum, à quo omnia, quæ vellet, disceret, sibi divinitus datum, Deique ipsius summa familiaritate & immediatis colloquiis se potitum, quin etiam unionem hypostaticam sibi à Deo oblatam, sed à se non admissam homo emotæ mentis somniaret, Christum quidem mundi redemptorem quoad sufficientiam fuisse, se autem redemtorem quoad efficaciam orbi datum non sine blasphemia diceret, miracula facere tentaret, aut à se fieri sibi persvaderet, vere se mortuum fuisse, & à mortuis resurrexisse fingeret, aliisque hujusmodi deliriis indulgeret, donec ab Inquisitoribus ad vivicomburium damnatus in cineres redigeretur. Johannes Gerso de examinatione doctrinarum agens refert, quod ipse Pontifex Gregorius XI, cum in procinctu ad alteram vitam percepturus divinam eucharistiam verba prope suprema profunderet, palam omnes astantes (astabant autem plurimi) conrestatus fuerit, ut sibi caverent à quibuscunque inexploratarum revelationum prophetis, & nominatim mulierculis, dolens quod per tales seductus ipse dimisso suorum rationabili consilio se & ecclesiam in discrimen imminentis schismatis traxerit. Alvarus Pelagius lib. 2. de planctu ecclesiæ c. 45. de mulieribus prophetias jactantibus, & inter sanctas habitis loquens, his verbis utitur: *Quædam earum spiritum fingentes, & raptum ac ecstasin simulantes, & prophetizantes. & divinantes, multa lucrantur, & multos decipiunt. Quarum unam ego cognovi, habentem raptum ad placitum & fornicantem in occulto ad lubitum.* Idem, quem paulo ante laudavimus, Gerso nonneminis mentionem facit, qui falsa revelatione deceptus hoc Satanæ ludibrium debuit, ut se vel ipsum Antichristū vel Antichristi præcursorem esse crederet, ideoq; ἀυτοχειρίας consilia agitaret, ne quid ecclesia per ipsum detrimenti pateretur. Unde vero probabit Bellarminus S. Franciſci & aliorum Romanæ ecclesiæ Prophetarum revelationes melioris pretii fuisse? Sane Hieronymus jam olim ad c. 23. Jeremiæ observavit, Religiosos præsertim & ecclesiasticos in hoc genere deceptioni obnoxios esse, & quæ somnia sua

sunt,

sunt, non raro ut revelationes jactare. Expertus id inter alios religiosus quidam, cujus Jacobus de Vitriaco lib. 1. actorum Mariæ Oegniacensis c. 19. meminit. Refert enim illum à Dæmone meridiano in tenebris perambulante, & se in angelum lucis transfigurante sub specie pietatis, ut tanto occultius venena sua ipsi instillare posset, infestatum, eoque deductum, ut falsa pro veris amplecteretur, pessimum rerum suarum exitum habiturus, nisi tandem illudi veteratoris fraudes cognovisset. Incertus auctor annalium Francorum à Petro Pithœo editus narrat ad A. C. 847. pag. 42. quod per illud tempus mulier quædam ex Alemanniæ partibus nomine Thiota Pseudo-Prophetissa Moguntiacum venerit, quæ diem consummationis aliaque perplura divinitus sibi revelata finxit, ultimumque diem isto anno instare prædicavit. Quo factum est, ut non solum multi plebeji utriusque sexus se orationibus illius commendarent, sed sacri etiam ordinis viri post posita doctrina ecclesiastica illam quasi magistram cœlitus destinatam sequerentur. Tandem vero in præsentiam Episcoporum apud Sanctum Albanum adducta est, ubi inquisitione facta presbyterum quendam sibi ista suggessisse, & se talia quæstus causa prætasse non dissimulavit. Unde flagellis cæsa ministerium prædicationis, quod sibi vindicare temere præsumserat, cum dedecore amisit, suisque vaticiniis tandem confusa finem imposuit. Non opus est adducere plura exempla falsarum revelationum, quibus Romana ecclesia plus scatet, quam Ægyptus Pharaonis tempore ad Mosis nutum ranis & insectis scatuit. Quod si Bellarminus probare posset, veros in Ecclesia Romana prophetas nonnunquam extitisse, non tamen inferri inde posset, Romanam ecclesiam veram esse ecclesiam. Nam etiam Babylonii veram ecclesiam non habuerunt, etsi Daniel Propheta apud ipsos viveret, & divina oracula ederet. Nos Lutherum sequimur, qui verbo & Sacramentis contentus in commentario ad c. 37. Geneseos scribit, quod cum Domino Deo suo hoc pactum fecerit, ne vel visiones, vel etiam Angelos ipsi mitteret. Et sæpe quidem fanatici spiritus eum adorti sunt, quorum alii alio eum per suas visiones & revelationes impellere voluerunt. Verum Dei potius verbo, quam illorum somniis attendere voluit, quia si fanaticos illos audire voluisset, tricies vel quadragies genus doctrinæ ipsi mutandum fuisset, ut ipse in commentario ad C. 40. Genesseos profitetur. Neque propterea ecclesia nostra vera non erit, si dono luminis prophetici destituatur. Joelis enim promissio, ad quam Bellarminus provocat, in primitiva ecclesia jam impleta fuit, & charismata ista extraordinaria pridem dispalluerunt. Sed plura de extraordinariis illis Spiritus S. charismatibus, & imprimis lumine prophetico prima hac feria Pentecostali hora 12. oratione non ineleganti differet Juvenis Politissimus & Doctissimus, Dn. ANDREAS VVINCKLERUS, Lipsiensis, Phil. & B. A. Baccalaureus, ac SS. Theologiæ studio addictus. Cujus audiendæ gratia Utriusque Reipublicæ Procetes nos ex Sacello Nicolaitano in templum Paulinum comitari, & honorifica sua præsentia panegyrin hanc splendidiorem reddere dignentur, qua decet, humanitate rogamus. Nec de frequentia Studiosæ Juventutis dubitamus, cum ipsa temporis hujus solennitas eam exigere videatur.

* * *

In ipso limine Dissertationis legitur, quod Carenton etiam dicatur Carenton, cum legi debeat, quod Charenton etiam Carenton dicatur. Plura ejusmodi errata typographica si cubi occurrant, Benevolum Lectorem ut ea corrigat rogamus.

Ba 4601

221.

Gaylord Bros.
Makers
Syracuse, N.Y.
PAT. JAN. 21, 1908

BW5848 .C2I91
De Synodi Carentonensis a Reformatis in
Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 00077 6254